


cf. grash. tick

13374 FK c.

[m. 3 - 138 (pm)  
det broz. nat. l.).  
grash. tme



VERITATES  
TERNÆ.  
PRIMO TRIDUO  
HEBDOMADÆ SANCTÆ

GRÆCII PROPOSITÆ,

NUNC VERO

D. D. SODALIBUS

ALMÆ, AC VENERABILIS

SODALITATIS MAJORIS

B. V. M A R I Æ

I N C O E L O S A S S U M T Æ ,

I N X E N I U M O B L A T Æ .

---

---

L A B A C I ,

A N N O C I C . C C C . L X V I I I .

(t. Neuner)



030033274

3

# P R E F A T I O

A D

## D D. S O D A L E S.

**U**T veritates æternas e Christi Crucifixi contemplatione depromptas, & duobus abhinc annis a me propositas VOBIS offerrem, singularis illa, qua veritates æternas a me ante biennium editas complexi estis, benignitas animos mibi addidit, planeque confidere me jussit, fore, ut hoc etiam opusculum, quamvis mole exiguum, animo tamen non minus benevolo suscipiatis. VESTRA certe erga Redemptorem nostrum Crucis affixum pietas, quam in excipiendis hisce, cum proponerentur, meditationibus luculente ostendistis, jure quodam suo postulare visa est, ut eas identidem recolendi, earumque lectione pristinum fervorem excitandi, ac fovendi copiam VOBIS facerem, simulque pignus aliquod relinquenter illius observantiae, qua Vos semper colui, colamque, dum vivam. Accipite igitur qualemcumque hunc conatum meum, quem si VOBIS probari, si vendæ pietati VESTRÆ servire intellexero, non mediocre operæ pretium me fecisse existimabo. Valete, meque VESTRI ad Aras nunquam non memorem, VESTRIS apud DEUM precibus commendatum habete.



VERITATES ÆTERNÆ  
E CHRISTI.  
CRUCIFIXI CONTEMPLATIONE  
DEPROMPTÆ, ET SEX MEDITA-  
TIONIBUS PROPOSITÆ,  
ANNO M. DCC. LX.

I N G R E S S U S.

**M**Agne DEUS! timens, ac tremens  
ante tuum hodie conspectum  
appareo; non possum enim non memi-  
nisse pacti superiore anno tecum initi,  
quando pro steriliis ficalneæ tuo impe-  
rio jam ad funestam succisionem dam-  
natæ dimissione rogavi: *Domine! dimitte*  
*illam & hoc anno, dixi, usque dum fodiam*  
*circa illam, & mittam stercora: si quidem fru-*  
*ctum fecerit. Sin autem (addere e ver-*  
*bis tuis in Evangelio adjectis debui)*

*fin*

5

fin autem (eloqui præ timore vix queo)  
hoc etiam anno, & post adhibitam cul-  
turam fructum facere neglexerit, *in fu-*  
*turum succides eam.* Tu o misericordiæ  
Pater! exorari te passus es, &, quamvis  
plures fortasse in hac vinea steriles ficul-  
neas invenieris, suspensa tamen ferali  
succisionis sententia, quem a te pro agen-  
da pœnitentia, & emendanda sterilitate  
petiimus, annum concessisti. At enim  
elapsum est jam fere induciarum tem-  
pus: unicum supereft triduum, quo fi-  
nito nil jam ultra excusationis adferri  
poterit, quo minus *omnis arbor*, quæ non  
facit fructum bonum, excidatur, & in ignem  
mittatur. Hæc si omnibus repetitæ ste-  
rilitatis sibi consciis terrorem merito  
incutiunt, admonere simul omnes de-  
bent, quanti momenti sit hoc ipsum,  
quod aggredimur, triduum, utpote post  
quod fortassis agendæ pœnitentiæ tem-  
pus non erit amplius: quantoque studio  
in id incumbere nos oporteat, ut hoc

triduo impendentem sterilibus securim  
a cervicibus nostris avertamus. Hoc ut  
fiat, nullum mihi medium efficacius oc-  
currit, quam ut ad te o Crucifice JESU !  
confugiam , & a sancta Cruce tua hoc  
triduo non discedam juxta Augustini  
monitum : *ut a peccato sanemur, Christum*  
*Crucifixum intueamur :* addo ego, & Chri-  
stum Crucifixum ad nos loquentem au-  
diamus. Erunt, ne dubitate, salutis ver-  
ba, quæ si sancto DEI timore corda no-  
stra configent, si excitabunt amorem ,  
quem meretur in cruce pro nobis mo-  
riens DEI Filius, fiet procul dubio , ut  
salutaris, ac tempestivæ pœnitentiæ la-  
crymis animarum nostrarum languores  
ex integro sanentur.



# MEDITATIO I.

DE BENEFICIIS,  
QUE NOBIS CHRISTUS  
EXHIBUIT.

*Primæ meditationis argumentum erunt beneficia, quæ nobis DEI Filius in vita, & passione sua exhibuit. Tria puncta continebit meditatio : in primo punto considerabimus, quid nobis boni Christus fecerit : in secundo, quomodo illud fecerit : in tertio, quare fecerit.*

## PUNCTUM I.

Dum e Cruce pendentem DEI Filium intueor, dum coronatum spinis caput, extensa brachia, perforatas manus, ac pedes video, dum lividum, lacerumque

corpus, & defluentes inde sanguinis rivos contemplor, illa mihi ex ejus ore verba audire videor, quibus olim Deus suam Israëlitico populo ingratitudinem per Michæam exprobravit: *Popule meus! quid feci tibi? responde mibi.* - - - Ah! benignissime JESU! quid ex me quæris? quid respondere me de illo jubes, quod, si totus mundus converteretur in linguis, dicere non posset? - - At enim respondebo tibi, &, quando sic jubes, dicam, quod nec ipse capio: *Redemisti me Domine DEUS! in sanguine tuo.* Ah! permitte Domine! ut, quantum paucis verbis dixerim, paulo melius inquiram. - Quis tu es? quis ego? quid sanguis tuus? quid redemptio? Tu Dominus Deus meus: & nonne, ut Chrysostomi verbis utar, nonne, cum *DEUS nominatur, oportet horrere?* Tu, inquam, infinitæ Majestatis Dominus, quem trementes adorant Angeli, sub quo curvantur, qui portant orbem: Tu æterni Patris Filius æqualis Patri - - me - heu Domine! hæret lingua, verba non invenio: quidquid dixerо, si tecum conferar, minus sum, sum nihil: atque utinam nihilo deterior, & adversum te impius, sacrilegus, ac rebel-

rebellis non fuisset. Talis vero cum fuerim, & toties fuerim, tu me tamen (obstupescite cœli amoris magnitudinem) tu me, inquam, profuso toto illo sanguine, cuius vel una gutta infiniti valoris est, & pretii, de domo servientium, de æterno, quem merebar, carcerere, ac interitu liberasti. Redemisti me Domine DEUS! in sanguine tuo. Ego igitur, ut Augustinus loquitur, ego tui sum causa doloris, tuæ culpa occisionis; ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Et quid est, quod debuisti ultra facere, & non fecisti mihi? Quære nunc iterum: popule meus! quid feci tibi? audacter dicam: ut me perditum redimeres, fecisti opus, quo majus facere omnipotentia non potuit, nescivit sapientia, infinitus Amor non invenit.

Ut tam luculentí beneficíi magnitudinem agnoscamus melius, consideremus ea omnia, quæ cum hoc redemptio-nis beneficio sunt conjuncta. Qui proprio Filio suo non perpercit, Pauli ad Romanos verba sunt, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? O! quam vastum se hic mihi offert beneficiorum, gratiarum,

ac donorum illorum pelagus, quæ omnipotens, ac amoris plena Redemptoris nostri manus in nos effudit. Quodsi enim, quando Filium pro nobis tradidit, cum illo etiam omnia nobis donavit Pater, quis inire poterit beneficiorum una cum redemptionis beneficio acceptorum numerum? quis eorum magnitudinem comprehendet? Omnia nobis cum Christo donata sunt. Quidquid igitur seu temporalium, seu spiritualium beneficiorum unquam accepimus, & quidquid unquam accepturi sumus, id omne Redemptori nostro, ejusque meritis, ac in nos amori debemus. Nam, ut Johannes Evangelista testatur, *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Igitur, quod ex nihilo præ tot aliis extracti corpus integrum, & immortalem animam ad imaginem DEI factam accepimus, quod ad filiorum DEI dignitatem elevati, quod veræ fidei collustrati lumine, quod ad æternam in cœlis hæreditatem vocati, & illius obtinendæ capaces effetti sumus, tuum o Crucifice JESU! est meritum, tuum est munus. Tu reddidisti nobis jus, quod per peccatum amisimus: tu dirupisti vincula, quibus ligati fuimus:

tu

tu gratiarum omnium, ac donorum plenitudinem in nos effudisti: tu Mediator DEI, & hominum bonorum omnium certam nobis spem dedisti dicens: *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Igitur nullum est beneficii genus, quod per te non acceperimus, aut, si modo velimus petere, accepturi non simus. Perge nunc e nobis quærere: *popule meus! quid feci tibi? responde mibi:* ubi inveniemus verba, quibus respondere possimus?

Sed nondum satis. Audiamus nunc Christum JESUM particularia illa recentem beneficia, quæ humano generi, cum in terris versaretur, impendit. *Popule meus! quid feci tibi?* enumera, si potes, quando *pertransii benefaciendo, & sanando omnes:* enumera, inquam, libertos a dæmoniis energumenos, illuminatos cœcos, mundatos leprosos, sanatos infirmos, suscitatos mortuos: quem ad me accedentem sine ope, ac solatio unquam dimisi? esurivit in deserto populus, multiplicavi panes, ut esurientes reficerem: tota nocte in mari laborantes nihil ceperant Discipuli, cum in nomine meo laxarent rete, quantam piscium multitudinem concluserunt. An non

tu quoque hæc ipsa beneficia & accepersti toties , & quotidie accipis ? an fortasse, quia me non vides, hæc a me profecta inficiaris ? Considera doctrinas, & salutis monita tibi & meo, & Apostolorum meorum ore tradita : perpende susceptos pro salute tua labores , & itinera , toleratas inter hæc ærumnas , pericula , persecutiones intuere. *Popule meus ! quid feci tibi ? O te misere cœcum !* si, quantum tibi boni fecerim, nondum agnoscis. Hoc si parum est, audi popule meus ! ego sublato duro Mosaicæ legis jugo quam suave tibi jugum, quam leve onus imposui, quot, quantaque ad salutem præsidia , quam exquisita suppeditavi media , dum Sacra menta insti tui, quorum ope, si modo velis, meritorum meorum particeps efficeris, peccatorum veniam obtines , & gratiarum Sacramentalium thesauris ditaris. *Popule meus ! quid feci tibi,* quando me ipsum tibi in cibum præbui, ut tu in me , & ego in te manerem ? hoc Corpus meum pro te in mortem traditum , hunc sanguinem pro te effusum quotidie pro peccatis tuis immolari volui, &, ut anima tua æternum viveret, a te manducari :

&amp;

& quid est, quod debui ultra facere, & non feci tibi? Adde Matrem meam, o! qualem, quantamque Matrem! cuius viscera misericordiae plena sunt, quam tibi pro salute tua in Cruce moriens donavi. *Popule meus! quid feci tibi? responde mibi.* - - Ah! Domine! quid dicam, & quid respondebo tibi? quid dignum poterit esse beneficiis tuis? quando tuum in me amorem, quando, quæ a te accepi, beneficia considero, aliud dicere nescio, quam quod Paulus ait: *si quis non amat Dominum nostrum JESUM Christum, sit anathema.*

## PUNCTUM II.

**S**i beneficiorum, quæ nobis DEI Filius exhibuit, numerus, & magnitudo amorem, ac gratitudinem a nobis exigunt, modus ipse, quo hæc ille beneficia nobis præsttit, multo graviorem nobis obligationem imponit. Hoc ut clarius intelligamus, consideremus, tria potissimum esse, quæ beneficium exhibendi modum singulariter commendant: si is, qui præstat beneficium, non modo nihil inde commodi percipiat, sed la-

boris

boris etiam, ac molestiæ plurimum sustinere cogatur: si dein ipsum hunc laborem, ac molestiam suscipiat gaudens, & ex animo: si denique, quod exhibet beneficium, ita compleat, ut abundet. Nunc igitur videamus, quonam modo has in suis beneficiis conditiones DEI Filius impleverit. Sed quid ego in illud inquirere vos jubeo, quod ante oculos vestros positum habetis? Ah! si quis in vobis sensus, si qua fides est, ac pietas, attollite in Crucifixum JESUM oculos, & quid ille ex impenso nobis redemptio-  
nis beneficio commodi, ac utilitatis percepit, aut, quantum potius laboris, & molestiæ, quantum pœnæ, ac doloris perferendum illi fuerit, cogitate. Hic, quem videtis, JESUS, cum in forma DEI esset, ut nos redimeret, exinanivit semet ipsum formam servi accipiens, propter nos egenus factus, cum esset dives. Cogitate omnipotentem DEUM, qui appendit tribus dgitis molem terræ, intra puerilis corpusculi conclusum angustias, involutum pannis, & reclinatum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio. Hoc si creditis, quinam fieri potest, ut præ stuporis magnitudine in saxum non obrigescatis? Au-  
dite

dite de Cruce ad vos loquentem DEI  
Filiū: *popule meus!* *quid feci tibi?* quia  
*in charitate perpetua dilexi te,* & attraxi te mi-  
serans. Ego in laboribus a juventute mea  
te quæsivi, & non habens, ubi caput re-  
clinarem, quærere te non ante destiti,  
quam dilectam animam meam in Cruce  
moriens posuerim, ut tu vitam haberes.  
*Popule meus!* *quid feci tibi?* an mē in hor-  
to Gethsemani tædenterem, paventem,  
mœstum, an animam meam tristem us-  
que ad mortem, an sanguinei sudoris  
guttas defluentes non vides? an non  
audis coniectas in me contumelias, ma-  
ledicta, opprobria, blasphemias? an fa-  
ciem meam fœdatam sputis, percussam  
alapis non agnoscis? *Popule meus,* *quid*  
*feci tibi?* attende, & vide, si est dolor,  
sicut dolor meus: supra dorsum meum  
fabricaverunt peccatores, foderunt ma-  
nus meas, & pedes meos, dinumerave-  
runt omnia ossa mea: a planta pedis us-  
que ad verticem capitis non est in me  
sanitas, sed vulnus, livor, & plaga tu-  
mens: dederunt in escam meam fel, &  
in siti mea potaverunt me aceto. *Pop-*  
*pule meus!* *quid feci tibi?* ego despectus,  
& novissimus virorum, ego vermis, &  
non

non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis, Barrabbæ postpositus, & cum latronibus deputatus sum: omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput: omnes amici mei spreverunt me, & facti sunt inimici. Hæc pati me oportuit, ut te redimerem, ut in regno Patris mei tibi locum pararem. *Popule meus! quid feci tibi?* responde mihi. An ex istis, quantum laboris, & molestiæ, quantum pœnæ, ac doloris sustinuerim, ut tibi bene facerem, non agnoscis?

Quam vero amanti animo, & quanto meo gaudio hæc pro te subiverim, si quæris, Paulum de me testantem audi: *proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* *Popule meus! quid feci tibi?* pro te oblatus sum, quia ipse volui, & animam meam, quam nemo tollere a me potuit, a me ipso posui: tanquam ovis, ad occisionem ductus obmutui, & non aperui os meum. Hoc si non sufficit, cogita popule meus! quanto desiderio desideraverim manducare Pascha illud cum Discipulis, in quo me ipsum tibi manducandum præbui, quomodo coarctatus sim, usque dum perficeretur baptismus

*quis non amat Dominum nostrum JESUM Christum, sit anathema-sit anathema.*

Sed nondum satis. *Popule meus!* quid feci tibi? repetentem de Cruce sua JESUM audio. Ah! popule meus! ut beneficii a me accepti, ut amoris illius, quo te dilexi, agnoscas magnitudinem, quam abundanter te dilexerim, attende. Cogita, quanti pretii sanguinem pro te profuderim, qualem posuerim animam, & amoris magnitudinem e pretio mettere. Enumera, quas profudi, sanguinis hujus guttas, quarum vel una totius orbis delictis abolendis sufficeret: quænam corporis mei pars, quæ facultas animæ doloris expers fuerit, considera, & quid ultra tibi facere potuerim, responde. *Empti estis pretio magno,* Pauli verba sunt, quibus abundantem Redemptoris nostri charitatem in memoriam nobis revocat, quam ipsam meditans Bernardus ait: *Christus, quod potuit gutta, voluit unda:* & *quod satis fuit ad pretium, non satis fuit ad amorem.* Quodsi porro attendamus ad illam amoris abundantiam, qua DEI Filius passionis suæ fructum ita impendit omnibus, ut neminem prorsus, ne Crucifixores quidem suos exclu-

exclusos voluerit, quidnam erit ultra,  
quod ad beneficii ab eo in nos collati  
plenitudinem desideremus? Ah! mitif-  
fime JESU! quid agis? vendit te sacrile-  
gus proditor vilissimo triginta argen-  
teorum pretio: & tu, ut eum redimas,  
infinitum sanguinis tui pretium expen-  
dis? flagellant te impii carnifex, & om-  
nem e venis tuis sanguinem conantur  
elicere: & tu hoc ipso sanguine pro tam  
immani eorum scelere satisfacis? insa-  
no te clamore ad crucem, ac mortem  
deposit populus: & tu validiore mul-  
to clamore illius te salutem, ac æternam  
vitam sitire clamas? trabalem humeris  
tuis crucem imponunt barbari satellites;  
& tu in hac ipsa Cruce illorum pecca-  
ta imponi tibi sinis, ut ab iis auferas?  
illi manus, pedesque tuos clavis perfo-  
rant, crucique te affigunt sacrilegi: tu  
deles tuo sanguine, tecumque cruci af-  
figis, quod adversum illos erat, chiro-  
graphum decreti? tu pro illis æternum  
Patrem oras? tu eorum immane faci-  
nus, quod ignorantes fecerint, excusas?  
tu pro illis etiam fundis sanguinem, mor-  
temque tuam offers, qui scientes opti-  
me, quid faciant, te sibi rursus crucifi-

gunt? O! quot igitur, & quam justas causas habes ad nos clamandi: *popule meus!* *quid feci tibi?* Quod si enim tuo ipius oraculo majorem bac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, tua pro inimicis, & crucifixo ribus tuis animam ponentis dilectio quanta fuit? quis ejus magnitudinem verbis exprimet? quis charitatis abundantiam explicabit? *si quis non amat,* tam abundans charitas me rursus exclamare cogit, *si quis non amat Dominum nostrum JESUM Christum,* qui tantopere dilexit nos, & tam abundanter lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, sit anathema.

### PUNCTUM. III.

**V**idimus beneficiorum, quæ nobis DEI Filius in vita, & passione sua exhibuit, copiam, & magnitudinem: vidi mus, & obstupuimus modum, quo hæc ille nobis beneficia exhibuit. Nunc ergo (Samuelis verbis utor, quibus Israëliticum populum importunis precibus Regem sibi poscentem allocutus est) nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino de omnibus misericordiis Domini

mini, quas fecit vobiscum, & cum Patribus  
 vestris. Audite rursus ex hac Cruce ad  
 vos loquentem DEI Filium: popule meus!  
 quid feci tibi? responde mibi. An, quid ex  
 te quæram, intelligis? responde, inquam,  
 mibi. An credis hæc te a me accepisse  
 beneficia? an mei erga te amoris mag-  
 nitudinem agnoscis? - Si ita, responde  
 igitur mibi, responde. Hoc unum a te pe-  
 to, hoc jure a te exigo, hoc expansis in  
 Cruce manibus te oro. Hæc una fuit  
 causa, quæ me ad beneficiendum tibi  
 impulit, hunc mihi finem propositum ha-  
 bui, ut tu mihi, meisque beneficiis re-  
 sponderes. Consideremus igitur, quid  
 hoc sit respondere beneficiis, quæ no-  
 bis DEUS exhibuit. Respondere Divinis  
 beneficiis est iis uti ad hunc finem, prop-  
 ter quem nobis a DEO sunt collata. Hunc  
 finem qui obtainere conatur, respondet  
 Christo: qui ad hunc finem non tendit,  
 qui in eo quærendo negligens est, non  
 respondet Christo, beneficiis abutitur, &  
 gravissimum sibi judicium de omnibus  
 misericordiis Domini accersit. Qualis  
 igitur fuit finis, propter quem DEI Fi-  
 lius tot, ac tanta nobis beneficia impen-  
 dit? - *Venit Filius hominis quærere, & sal-*

vum facere, quod perierat, ipsius Christi apud Lucam verba sunt, quibus hunc nobis finem insinuat: & Paulus de illo ad Titum scribens: tradidit semet ipsum pro nobis, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Igitur finis, quem sibi Christus præfixum habuit, alius non fuit, quam ut nos salveremur. - Sed quomodo? - sectando bona opera, & per ea nos reddendo acceptabiles Deo. Igitur conatus serius, quem adhibere nos oportet, ut per bona opera placeamus Deo, & salutem consequamur, est responsum illud, quod Christus a nobis exigit, quod illi reddere debemus. Qui ad hunc finem non tendit, qui hunc conatum non adhibet, *in vanum accepit animam suam*, dum eam Christus suo sanguine redemit, *in vanum accepit tot beneficia*: id est, ut Bernardus explicat, *frustra vivit, frustra tanto Filii DEI labore, tanto pretio redemptus est: quia non vivit ea vita, per quam ut viveret, accepit animam suam infinito sanguinis Filii DEI pretio redemptam*. Si autem talis frustra vivit, si frustra redemptus est: igitur nihil illi prodest redemptio, nihil, quæ a Christo tam abundanter accepit, benefi-

beneficia, sed perinde se habet, ac si pretioso Filii DEI sanguine redemptus non esset.

Ah! Christe JESU ! si quis talis adfset, qui in vanum accepisset tot a te sibi collata beneficia, & infiniti pretii sanguinem , quem pro illius redemptione fudisti, an non haberem causam adversus eum hodie judicio contendendi coram te de omnibus misericordiis tuis , quas fecisti cum eo ? an non tu ipse cum tali judicio contenderes dicens : *quæ utilitas in sanguine meo ?* Videor mihi te ex hac Cruce terribilem tali, qua erga te utitur, ingratitudinem exprobrantem audire : *bæccine reddis Domino ? popule stulte, & insipiens ! - - Popule meus ! quid feci tibi ?* - Ego te triginta trium annorum labore, sudore, ærumnis ad lassitudinem usque quæsivi , ut animam tuam, quæ perierat , salvam facerem: tu , ut hanc salutem obtineres, ut sectando bona opera te mihi acceptabilem redderes, ut frumentum labori meo respondentem faceres, quid egisti ? quid passus es ? - nihil. - Ut corpori tuo bene esset, ut commode, ac molliter viveres, ut temporalibus bonis abundares, laborasti, sudasti, lassatus

es. Audi Augustinum: *O iniquitia, & ignorantia! totum dare corpori, animæ nihil.* - - Ego, ut te perditum redimerem, totum, quem in venis habui, lubens, gaudensque profudi sanguinem, flagella, vulnera, irrisiones, opprobria, sitim, ignominiam crucis, mortem ipsam sustinui, & proposito mihi gaudio (tantum te amavi) sustinui: tu, ut hanc mihi animam servares, an vel tantillum unquam subivisti molestiæ? an vel tantillum curæ, ac solicitudinis adhibuisti? an non hanc animam ultro obtulisti hostibus? an non eam data opera perdere voluisti? an credidisti forsitan tuam esse hanc animam tanti a me emptam? an putasti, quod, qui creavi te sine te, qui redemi te sine te, salvabo te sine te? an tibi persuasisti ea, quæ desunt, passionum mearum a te adimpleri non debere? - - Ego tibi tot alia beneficia exhibui, tot, & tam exquisita ad salutem suppeditavi media: tu iis quomodo, & quorsum usus es? *Popule meus! quid feci tibi? responde mibi.* - *De auro meo, atque argento meo fecisti tibi imagines, & fornicatus es in eis: ut me ad iracundiam provocares.* - Jam superiore anno propter sterilitatem tuam succidi debueras:

bueras : ego pro te oravi, ego te mihi  
inseri volui, ego labores, sanguinem,  
mortem meam pro te obtuli, ut uno ad-  
huc anno dimittereris : & tu hoc etiam  
anno perrexiſti eſſe ſteriliſ : jam annus ad  
ultimum uſque triduum elapsus eſt, &  
fructus, quos pro te ſpoondi, nondum  
apparent, nondum, ut eos faceres, ma-  
num admovisti : non eſt uva in vitibus, non  
ſunt ficus in ficolnea, folium defluxit. Quæ  
igitur utilitas in ſanguine meo ? quæ utili-  
tas in tanto amore, in tot, tantisque be-  
neſiciis meis ?

Ah ! anima Christi JESU ſanguine  
redempta ! nihilne iſtæ Redemptoris tui  
post tot beneficia tuam tibi ingratitudi-  
nem, tuam sterilitatem exprobrantis vo-  
ces te movent ? Cogita, an non rectum  
ſit, quo adverſum te cum Augustino con-  
tendo, judicium : non perdit homo , quod  
emit auro ſuo, & perdet DEUS, quod emit  
ſanguine ſuo ? Ah ! miſerere igitur Redem-  
ptoris tui, eique, qui tanta pro te fecit,  
aliquando reponde. Venit ille tanto ſuo  
labore , ac profuso toto ſuo ſanguine  
quærere , & ſalvum facere te, qui perieras :  
reponde igitur, torporem, sterilitatem  
excute, poenitentiam age, ſalva animam

*tuam: sed memento, unicum superesse triduum: igitur festina, ne succidaris.*

Ah! mi JESU! quærrens me sedisti lassus, redemisti crucem passus: tantus labor non sit cassus. Quis me fascinavit haetenus non obedire veritati, ante cuius oculos JESUS Christus præscriptus est in me, & pro me crucifixus? Ah! mi JESU! sanguis tuus clamat ad me de Crucce: vocas me per tot beneficia, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Agnosco quidem Domine! & dolens, ac pœnitens agnoscō, in vanum me adhuc accepisse animam meam, quam redemisti, dum non vixi ea vita, per quam ut viverem, a te accepi, & per peccatum perditam recepi animam meam: & hac ipsa de causa nihil a te merebar, nihil mereor: meritum meum, cum Augustino confiteor, meritum meum misericordia tua. Per hanc infinitam misericordiam te obtestor: patientiam habe mecum, & animam meam, & omnia, quæ a te accepi, reddam tibi, nec admittam posthac, ut, dum non perdit homo, quod emit auro suo, tu Deus meus! in me perdas, quod emisti sanguine tuo. Amen.

ME-

## MEDITATIO II.

DE

IN JURIA, QUÆ CRUCIFIXO  
JESU PER PECCATUM  
INFERTUR.

**S**I DEI Filius maximum redemptio-  
nis beneficium, & innumera alia  
beneficia cum illo conjuncta nobis  
tam abundanter exhibuit non alia de  
causa, quam ut animas nostras, quæ per  
peccatum perierant, salvas faceret, quan-  
tam ille Crucifixo JESU infert injuriam,  
quam horrendam Divino Benefactori  
suo, a quo omnia habet, ingratitudinem  
exhibet, qui animam ejus sanguine red-  
emptam per peccatum rursus perdit, &  
per voluntariam sterilitatem, ac dilatio-  
nem pœnitentiæ salvam fieri non sinit?  
De hac ingratitudine, de hac illata sibi  
a peccatoribus injuria DEUS apud Jere-  
miam queritur dicens: *duo mala fecit po-  
pulus meus: me dereliquerunt fontem aquæ  
vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissi-  
patas, quæ continere non valent aquas.* Hæc  
igitur erit præsentis meditationis mate-  
ria,

ria, in cuius primo puncto considerabimus gravissimam injuriam, quam Crucifixo JESU peccator infert per hoc, quod eum derelinquit: in secundo puncto gravissimam injuriam, quam Crucifixo JESU peccator infert per hoc, quod amorem suum ad creaturas convertat: in tertio denique puncto meditabimur multo graviorem injuriam, quam Crucifixo JESU ille peccator infert, qui differendo poenitentiam in hac illius derelictione, & conversione ad creaturas voluntarie perseverat.

## PUNCTUM I.

**C**onsidera Crucifixum JESUM, & suam contra te querelam repetentem audi: *Popule meus! quid feci tibi? responde mibi.* Si respondere nescis, responsum accipe, quod ipsius DEI nomine Isaias reddit: *filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me: - - dereliquerunt Dominum, - - ab alienati sunt retrorsum.* - Considera igitur, & vide, quid sit DEUM spernere, derelinquere, & ab illo retrorsum abalienari: atque, ut injuriam, quæ Crucifixo JESU per hoc infertur, tanto melius agnoscas, omnes derelictionis hujus

cir-

circumstantias expende. Et imprimis quidem cogita, quis sit ille, quem peccator derelinquit. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, DEI apud Jeremiam verba sunt, quibus illatæ sibi a peccatoribus injuriæ atrocitatem sic exponit, ut eam ipsius cœli stupore, ac desolatione dignam pronunciet: obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer.* Poterat Deus spretam infinitam maiestatem suam peccatoribus objicere, poterat exprobrare læsam, & ad iracundiam provocatam vindicem suam justitiam, poterat violatum suum in omnes creature dominium, omnipotentiam, immensitatem commemorare: & dignum cœlorum stupore, ac desolatione facinus indicasset. Verum his omnibus prætermisis, ut illatæ sibi injuriæ atrocitatem ostenderet, solam suam bonitatem, & beneficiorum peccatoribus exhibitorum magnitudinem adduxit: neque profecto efficacius aliquid adferre potuit, ut ipsi cœli ad insolitum stuporem, & extremam desolationem, ac mœstitudinem provocarentur. Anima peccatrix! ut injuriæ, quam Crucifixo tuo JESU inters, horribilem gravitatem agnoscas,

non

non tibi ejus in de Dominum , non omnipotentiam , non justitiam propono , non tremendam illam futuri tui Judicis, qui & animam, & corpus tuum perdere potest in gehennam ignis, majestatem, & potentiam ante oculos tuos statuo : leva duntaxat oculos, ut JESUM ante te in Cruce pendentem videas, illius vulnera, & defluentem inde sanguinem aspice, quem derelinquis, fontem aquæ vivæ esse cogita, e quo tibi aquæ in gaudio hauriendæ propinantur. Hoc a te dum peto, non tibi sanguinem, quem e Redemptoris tui venis expressisti, non, quæ illi peccatis tuis inflixisti, vulnera, non crudelitatem, qua illum in Crucem actum mori coëgisti, exprobro : id unum te oro, ut hoc sanguine te redemptam consideres, ut omnes sanguinis hujus guttas, omnes dolores , omnia vulnera totidem esse ardentissimi erga te amoris testimonia cogites , & , quid sit talis, tam beneficum DEUM derelinquerre, tecum serio perpendas. *DEUM, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui, verba sunt, quibus olim Moyses Israëlitico populo admissi contra DEUM facinoris gravitatem exprobravit :*

vit: & tu o peccator! derelinquis DEUM, qui te non solum genuit, sed etiam perditum triginta trium annorum labore quæsivit, suoque redemit sanguine: tu oblivisceris Domini non Creatoris tantum, sed & Redemptoris tui, qui tui oblivisci, cum posset, non sustinuit, qui animam tibi tuam dedit, & amissam reddidit: & illius, quam Deo tuo irrogas, injuriæ magnitudinem nondum agnoscis? an non merito adversum te Redemptor tuus queritur: filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me? an non hæc Crux, hi clavi, hæc vulnera, & omnes defluentis sanguinis guttæ ingratitudinem tibi tuam exprobrant, & enormem, quam Deo tam erga te benefico infers, injuriam ob oculos tibi ponunt?

Quodsi olim apud Ægyptium Joseph, uti Genesis 39. legimus, tantum valuit temporalium, quæ ab hero suo acceperat, beneficiorum recordatio, ut solicitatus ad flagitium clamaret: ecce! Dominus meus omnibus mibi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non tradiderit mibi: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum? nihilne apud te valebit impensis tibi

tibi a Redemptore tuo amoris recordatio, quo non solum temporalia, sed multo his majora tam abundantanter in te contulit beneficia? tu in eum peccare, illumque derelinquere poteris, qui non sua solum, sed se ipsum tibi, ac pro te tradidit, atque ita tradidit, ut labores, dolores, vulnera, mortemque ipsam prote subire non dubitaret? *Popule meus!* quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? responde mibi: suam adversus te querelam in Cruce moriens DEI Filius instaurat: quid invenisti in me iniquitatis, quia elongasti te a me, & ambulasti post vanitatem? - Si parva sunt ista, quæ adhuc exhibui, beneficia, adjiciam tibi multo majora: dilata os tuum, & implebo illud. Tu vero popule stulte, & insipiens! pro eo, ut me diligeres, recessisti longe, & non audiisti vocem meam: confregisti jugum meum suave; rupisti vincula mea, vincula charitatis, in quibus attraxi te miserans tui: dixisti: non serviam. Hocne igitur ate promerui, ut me derelinqueres, & ad iracundiam provocares? hoc illud est, quod jam pridem Davidis ore conqueror: super dolorem vulnerum meorum addiderunt; filios enim enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spre-

ab eo summo cum amore, & novorum  
beneficiorum promissione vocatus re-  
trorsum ab alienareri, tute judica, qua-  
lem homini de te tam bene merito, tam  
tibi necessario inferres injuriam, quan-  
topere hoc agendo insanires. Et illum  
tu non hominem, sed D<sup>E</sup>UM audes pec-  
cando derelinquere, illum spernere, ab  
illo retrorsum ab alienari, a quo ad te  
redimendum in Cruce exposito accepi-  
sti, quæ habes, omnia, & quo sic indi-  
ges, ut, si ille manum a te suam subtra-  
hat, si hanc ad te vel per momentum non  
extendat, perire debeas, &, nisi pro te  
orasset, jam succisus perivisses? Et, cum  
hæc agas, miraris etiam, & tanquam de-  
illata tibi injuria quereris, si in tempo-  
re afflictionis tuæ non illico surgat, &  
te liberet, si temporalibus malis, & ca-  
lamitatibus diutius vexari te sinat? O te-  
meritas! o insania inaudita! fontem  
aquæ vivæ derelinquis, & sitire te que-  
reris? an non hæc ipsa querela tua no-  
va est injuria, quam Redemptori tuo in-  
fers, dum ab eo spreto amorem, velut  
jure tibi debitum, exigis, dum eum in-  
ter afflictiones, & dolores, quos pro te  
sustinuit, a te derelictum in tempore af-  
fliccio-

flictionis tuæ velut pro imperio adesse tibi jubes dicens: *surge, & libera me?*

An fortassis leve tibi aliquid videretur DEUM in humano corpore pro te vulneratum, crucifixum, mortuum derelinquere, spernere, & ab eo retrorsum abalienari? Audi Augustinum: *Judæi, ejus verba sunt, Judæi, qui crucifixerunt ambulantem in terris, minus peccaverunt, quam qui offendunt sedentem in cœlis.* Causam quæris? Judæorum populus acceperat beneficia: sed nondum ejus sanguine, ac morte redemptus erat, nondum, quantum illi deberet, nondum, quid faceret, sciebat. At vero, qui sedentem in cœlis offendunt, derelinquent, & spernunt eum, cuius sanguine redempti sunt, a quo tot, & tam exquisita ad salutem media, tot, & tanta beneficia acceperunt, eum, cuius majestatem, ac potentiam, cuius infinitum erga se amorem ignorare non possunt: hi proinde scientes, quid faciant, rursum crucifigunt sibimet ipsis *Filiū DEI*, & ostentui habent: quid mirum igitur, si eorum scelus Judæorum ambulantem in terris crucifigentium scelere gravius esse Augustinus affirmet? Memor esto hujus, de talibus

Psalmita ait, memor esto hujus: *inimicus impropereavit Domino: potestne atrocior alia injuria excogitari?* Ipse de Cruce sua Christus contra tales per Jeremiam queritur: *tetendit arcum suum, & posuit me, quasi signum ad sagittam.* Hæc meditans Bernardus exclamat: *Dominus meus pendet in patibulo: & ego voluptati operam dabo?* quasi diceret: vel cogitare horret animus tam monstrosam ingratitudinem, ut Dominum meum ante oculos meos in Cruce, in qua me redemit, positum vel momento derelinquam. Et tu eum posthac audebis derelinquere? atque, quod amplius est, tu tam amabilem, tam tui amantem DEUM, dum ejus erga te beneficia ante oculos tuos posita ignorare non potes, spernere non dubitabis? Ah! Domine! procul sit a me tam enorme facinus; quodsi enim Paulo teste, *si quis non amat Dominum nostrum JESUM Christum, sit anathema, qui Dominum nostrum JESUM Christum derelinquit,* spernit, & tendens arcum suum, quasi signum ad sagittam ponit, quid erit? Ita Domine! omnes, qui te derelinquunt, cum Jeremia repeto, confundentur, recedentes a te

te in terra scribentur: quoniam dereliquerunt  
venam aquarum viventium Dominum.

## PUNCTUM II.

**C**onsidera, injuriam, quæ Crucifixo  
JESU per ejus derelictionem, & con-  
temptum infertur, ex eo crescere, quod  
amor, & honor illi debitus ad creatu-  
ras convertatur. *Populus meus mutavit*  
*gloriam suam in idolum, DEI apud Jeremiam*  
*verba sunt. Et quid aliud peccator agit,*  
dum derelicto DEO ad creaturas se con-  
vertit? Quod si enim Cypriano teste,  
*quidquid homo DEO anteponit, DEUM sibi*  
*facit: quod si deinde peccator, quidquid*  
*contra leges a DEO latus amat, quærerit,*  
*desiderat, DEO anteponit, o! quot, &*  
*quam viles sibi DEOS peccator facit:*  
& quoties gloriam DEO debitam mutat  
in idolum. Anima peccatrix! vide,  
quid agas, quando derelicto DEO, qui  
te genuit, qui te redemit, qui pro te pas-  
sus est, ad creaturas te convertis: illos  
homines, quorum metu DEI legem trans-  
gredi non horres, illos socios, quibus ne  
displiceas, DEO disclipere, & illius ini-  
micus fieri non curas, illas viles, for-

didas, obscenæ voluptates, quibus ut  
frui possis, DEUM negligis, illas creatu-  
ras, quas tam avide seclaris, quibus to-  
tum animum, & amorem spreto, & re-  
lieto DEO Redemptore tuo consecras,  
DEO anteponis, & deos tibi facis. Isti  
sunt dii tui, ista sunt idola, in quæ glo-  
riam DEO tuo debitam toties mutasti.  
Hæc vero anne levis est injuria, qua tu  
illum DEUM afficere non horres, qui de-  
se profitetur : *gloriam meam alteri non  
dabo ?* - Cogita , quam enorme fuerit  
Judæorum scelus , quando a Pilato ro-  
gati , quem sibi de duobus dimitti vel-  
lent, Barrabbam , an JESUM , sacrilego  
furore vociferati sunt : *tolle hunc , &  
dimitte nobis Barrabbam :* quis ad tanti sce-  
leris recordationem horrore non per-  
cellitur ? quis tam horrendam DEI Fi-  
lium publico latroni postponentium im-  
pietatem non detestatur ? - Ah ! anima  
peccatrix ! hanc tu contra teipsam con-  
verte rabiem : plus multo habes , quod  
in te detesteris : tu gravioris multo fa-  
cinoris rea es, quando DEI Filium, cu-  
jus infinitam majestatem , cuius pro te  
fusum sanguinem , cuius innumera tibi  
exhibita beneficia ignorare non potes ,

crea-

creaturis posthabes; quam seducti a sacerdotibus Judæi, qui nescientes ipsi, quid facerent, innocentem JESUM latroni postposuerunt. Si adhuc dubitas, DEUM ipsum apud Ezechiem hoc tibi facinus exprobrantem audi, dum ait: *projecisti me post corpus tuum.* Recogita tantisper peccata illa, quibus DEUM non dubitasti offendere, &, quam merito hoc ille de te conqueratur, agnosces. Revo-ca in memoriam voluptates illas, & il-llicita commoda, quæ tuo corpori, li-bertatem illam, quam indulsisti sensibus, illum torporem, quo in Divino usus es obsequio, &, ne corpori ægre faceres, Dei leges, & tam necessariam pœnitenti-  
tiam in postremis curis habuisti: quanta tua fuerit in edomandis passionibus væ-cordia, quanta in evitandis peccatorum occasionibus, ac periculis desidia, quan-tus in fide languor, quantus rerum sa-crarum contemptus, considera: quan-tus in gravissimo æternæ salutis nego-tio neglectus, quam inordinatus rerum terrenarum amor, quanta temporalium commodorum cura, & studium, tecum reputa: an non hæc, & alia hujuscemo-di plurima, quoties, & quam indignis

modis Redemptorem tuum pro te crucifixum post corpus tuum projeceris, abunde te docebunt? an non hæc, & his similia fuere Barrabbæ illi, qui, quamvis animam tuam deprædatum irent, & tanquam jurati salutis tuæ hostes mortem mererentur millies, a te dimissi sunt, innocentia, tuique unice amante JESU ad diræ Crucis supplicium condemnato? & hæc tu sciens, si quando rebellis passio ad peccatum te sollicitet, si hominum timor, aut respectus, si terrenum commodum se offerat, si fœda quamvis, & momentanea voluptas falsas sensibus blanditias objiciat, opere ipso clamare non desinis: *tolle, tolle, crucifige JESUM,* & *dimitte nobis Barrabbam:* moriatur JESUS, ne Barrabbas, ne amor proprius, humanus respectus, voluptas, acedia, commodorum studium, superbia: verbo, ne inordinata passio moriatur?

Te obtestor, quidnam igitur innocens JESUS mali fecit? quid molestus tibi fuit? quæ in illo inventa est iniqüitas, propter quam postponi omnibus, & post corpus tuum, post momentaneas voluptates, post creaturas vilissimas, post ipsos adeo infensissimos hostes tuos præjici

jici deberet? an quod sua in cruce brachia ad te amplectendum expanderit? an quod sanguine suo te a peccatis lavavit? an quod relictis tot Angelorum, qui propter unicum peccatum perierant, millibus tui sit misertus? Hæc tu credis utique, & illum, quem peccando post corpus tuum, post creaturas projicis, quem, ut Ezechiel queritur, *propter pugillum bordei, & fragmen panis violare non times, DEI Filium, ac Redemptorem tuum esse, a quo omnia habes, non dubitas?* & eum tamen post corpus tuum projicere, eum postponere latronibus, & ad Crucis supplicium novis peccatis deposcere non formidas? Ah! frustra verbis profiteris fidem, nunquam mihi persuadebis te credere: non, non credis; quodsi enim ista crederes, quomodo fieri posset, ut manus tibi, cum eam ad peccandum extendis, non obrigesceret, non subsisteret in venis sanguis, capilli præ horrore non assurgent? quomodo fieri posset, ut peccantem te vel ad unicum Crucifixi JESU aspectum tui ipsius horror, pudor, dolor non exanimaret?

Et quid tandem sunt creaturæ illæ,  
 ad quas reliquo DEO Redemptore tuo  
 amorem convertis? quidnam tibi adhuc  
 attulerunt commodi? quidnam veri bo-  
 ni pollicentur, aut polliceri tibi possunt?  
*Foderunt sibi cisternas, DEUM Jeremiæ ore*  
*querentem audio, cisternas dissipatas, quæ*  
*continere non valent aquas.* Ah! Domine!  
 quale mihi lumen verbis tuis accendis?  
 Igitur voluptates illæ, quas tanto studio  
 secessatus sum, commoda illa, quibus in-  
 hiavi, terrena illa bona, quorum amore  
 a Divino me obsequio, a Divinarum le-  
 gum observatione toties avocari passus  
 sum, aliud non sunt, quam cisternæ dis-  
 sipatæ, quæ nihil aquarum continent?  
 igitur ille favor, & amicitia hominum,  
 quam ut obtinerem, peccare non hor-  
 rui, illi plausus, honores, magni nomi-  
 nis existimatio, in qua mihi tantopere  
 complacui, & cuius mihi comparandæ  
 causa DEUM, & conscientiam in postre-  
 mis curis habui, cisternæ dissipatæ, sic-  
 cæ, aridæ? igitur omnia, quæ mundus  
 offert, bona, oblectamenta omnia, quæ  
 blandiuntur sensibus, mera sunt ludibria,  
 &, ut Jacobus Apostolus loquitur, va-  
 por ad modicum parens, atque, ut expe-  
 rientia

rientia sua doctus testatur Salomon, vanitas, & afflictio spiritus? Et his ego bonorum umbris, huic vanitati, huic nihil te posthabui? post has quisquilias te projeci? has cisternas dissipatas mihi fodere diu, noctuque non destiti? his laborem meum omnem, ac sudorem impendi? his ut vel momento potiri possem, oblatum mihi ultro fontem aquæ vivæ dereliqui? & quæ tandem est insania, si hæc non est? O cœli! non jam obstupescite: sed, si vos aliqua tangere potest miseratio, flete animam Christi JESU sanguine redemptam, in qua illud Davidis impletum est: homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. JESU Fili David! miserere mei, cum cœco juxta viam sedente clamo: Domine! ut videam vanitates, & insanias falsas, quas te reliquo quæsivi toties, & tam avide sum secessatus: has si a te illuminatus videro, certus sum, me moriturum potius, quam peccato posthac consensurum.

## PUNCTUM III.

**C**onsidera, quod, si derelinquendo DEUM per peccatum grave, & amorem illi debitum ad creaturas convertendo gravissimam Redemptori suo profane in Cruce mortuo injuriam peccator infert, multo gravior, & atrocior sit injuria, qua tam amabilem, tam erga se beneficium DEUM illi peccatores afficiunt, qui differendo pœnitentiam in hac DEI sui derelictione, & ad creaturas conversione voluntarie perseverant. Scito, & vide, ait per Jeremiam DEUS: *quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum DEUM tuum, & non esse timorem mei apud te:* quibus postremis verbis illos potissimum videtur exprimere, qui DEUM suum sic derelinquent, sic in creaturarum amore toti sunt, ut Divinæ etiam justitiae timorem a se proscripterint, ac proinde ita in peccatis vivant, ita se illis totos quantos immergant, ut nullo amplius frœno retrahi, & a peccandi licentia cohiberi se sinant. O! quis aมitudinem illam verbis explicare potest, quam Divino tales ori adferunt? quis

acer-

acerbissimum dolorem eloqui, quem super Crucifixi JESU vulnerum dolorem addiderunt? sit licet vel unicum peccatum grave deliberate admissum tam enormis malitiæ, ut Judæorum ambulantem in terris JESUM crucifigentium scelus superet: at enim humana fragilitas, temptationum vehementia, & quæ sunt hujusmodi, non raro excusationis aliquid adferunt, ut iratus quamvis DEUS ad misericordiam fleatur citius, & illatam sibi gravissimam injuriam pœnitenti facilius condonet. At vero voluntarie dilata pœnitentia, repetitus in peccata lapsus, & in projiciendo post corpus suum, post voluptates, post creaturas DEO velut obfirmatus animus, hæc sunt, quæ misericordiæ plena viñcera tanta complent amaritudine, ut mirum vide ri non debeat, si ad impendendam talibus misericordiam commoveri se non sinant.

Inter ea, quæ DEI Filius in Cruce passus est, tormenta sitis fuit tam ardens, ut de illa conquereretur: *dixit: sitio.* Sed, cum gustasset fellis oblato potui admixti amaritudinem, noluit bibere, ut Matthæus testatur. Mysterio non vacat, *quod*

quod mitissimus JESUS, qui nihil tormentorum pro salute nostra subire renuit, hoc unum detrectaverit; quodsi enim Augustino teste ejus in Cruce sitis aliud non fuit, quam ardentissimum, quo flagrabat, salutis omnium desiderium, amarus illē potus, quem solum ex omnibus tormentis respuit, aliud fuisse non potest, quam eorum durities, ac obstinatio, qui oblatam sibi ultiro salutem per aetam in tempore poenitentiam arripere, cum possent, non volunt. Ah! mitissime JESU! tales igitur tu, cuius viscera misericordiae plena sunt, respuis? quidnam igitur illis spei relinquitur? Audio te Psalmistae ore dicentem: *dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Et quidnam de illis futurum est? - - Obscurantur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva: - furor irae tuæ comprehendat eos: fiat habitatio eorum deserta: non intrent in sanctuarium tuum: - delean-  
tur de libro viventium, & cum justis non scribantur: - quoniam, quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Hæ Redemptoris nostri querelæ, &, quas intentat, minæ o! quam horrendam ostendunt esse injuriā,

riam, quam Crucifixo JESU inferunt, qui, dum tempus est, dum vocari se audiunt, obturant aures suas, & non agendo, sed in seram ætatem, ac ad mortem usque differendo pœnitentiam DEUM suum tanta pro se passum non cessant derelinquerre, & ad creaturas converti: o! quam merito de talibus queritur: *expandi manus meas in Cruce ad populum non credentem & contradicentem mibi.* O benignissime JESU! si quis supereffet in hoc populo, qui his omnibus ad agendum, quam tanto jam tempore distulit, sinceram pœnitentiam, ad detestanda, quæ jam toties repetiit, peccata, ad exuendam peccandi consuetudinem, vitandas, in quibus tam diu versatur, occasiones, & pericula moveri se non sineret, quid jam ultra supereft, quod tali proponi a me posset? terrores, minas, succisionis periculum intentabo? intentavi toties: risit: ridebit iterum: si quid etiam horum ejus animum penetraverit, quām diu durabit timor? ubi vel semel priores socios, occasiones, pericula repetierit, evanescent omnia: - dicam pro illius salute fortassis hoc unicum superesse triduum, induciarum a DEO conces-  
sarum

farum tempus ad finem vergere? non credet: dicam malum, & amarum esse relinquere Dominum Deum suum, & nullum ejus timorem animo infixum habere? contradicet. - Si tuus illum hodie aspectus non commovet, si voces tuæ: *popule meus! quid feci tibi?* aut *quid molestus fui tibi?* si expansæ in Cruce manus, si defluentes sanguinis tui rivi ejus cor non penetrant, ut tam diu frustra expectatos non fictæ, non ad unum tantum, alterumve diem duraturæ poenitentiæ fructus faciat, quid jam ultra de tali sperari posset? - - Sed Domine! fieri non potest, ut tuus illum hodie aspectus non moveat, ut verba tua ejus cor non penetrent; nondum enim omnem sensum exuit, nondum in saxum obriguit: ut a peccato sanetur, te Crucifixum intuebitur, & cum Bernardo dicet: *Dominus meus pro me pendet in patibulo,* & *ego voluptati operam dabo?* ego peccabo? - non, non peccabo, ne me furor iræ DEI tot a me provocatus injuriis comprehendat.

O Divine Redemptor! en! coram te prostratum omnium indignissimum, ac miserrimum peccatorem. Credidi qui-

quidem, & credo, ac profiteor te esse  
DEUM, Dominum, ac Redemptorem  
meum, qui pertulisti peccata mea in cor-  
pore tuo super lignum, vulneratus prop-  
ter iniquitates meas. attritus propter  
scelera mea. Sed quid mihi hæc fides  
proderit, si factis meis me tantopere a  
te elongavi? Heu Domine! quid egi?  
dereliqui te fontem aquæ vivæ, & fo-  
di mihi cisternas, cisternas dissipatas, quæ  
continere non valent aquas. Peccavi  
Domine! & peccando projeci te post  
corpus meum: tam amabilem DEUM,  
tam beneficium, ac misericordem Pa-  
trem spernere, & vilissimis creaturis  
postponere non horrui, &, quamvis  
peccatum meum agnoverim, quamvis  
te pœnitentiam meam sitire sciverim,  
ego tamen ad omnia durus, & immo-  
bilis amaritudinis felle te potavi. Ag-  
nosco Domine! major est iniquitas mea,  
quam ut veniam mereatur: sed multi-  
tudo miserationum tuarum me in spem  
erigit, quod me nunc pœnitentem non  
projicies a facie tua, & misericordiam  
tuam non aufères a me. Ah! Domine!  
pœnitet me ex toto corde, & in tota  
anima mea, quod te DEUM meum offen-

D derim,

derim, quem amo, & amare cupio super omnia, tanquam summum bonum: & propterea mori potius eligo, quam te posthac offendere. Amen.

## MEDITATIO III.

DE

### COGITATIONIBUS PECCATORIS IN MORTE EX ASPECTU CHRISTI CRUCIFIXI.

**I**ntraea, quæ moribundis adhiberi solent, est imago Crucifixi, ut in eo articulo constituti, a quo pendet æternitas, ex aspectu Redemptoris sui, qui mortis amaritudinem pro salute nostra gustare dignatus est, in spem erigantur, dolores morbi, & mortis angustias ferant lenius, contratentationes tunc potissimum ingruentes præsidium habeant, ad peccatorum suorum detestationem seriam, ad concipiendam obtainendæ veniæ, ac æternæ salutis fiduciam erigantur. Quam hic aspectus Christi Crucifixi, quando in eum moribundi oculi conjiciuntur, sit efficax, ipsem et exper-

tus

tus sum in particulari casu, qui aliquot abhinc annis in alio quodam loco contigit, & cui præsens adsui. Jacebat persona morti proxima, quæ gravem in animo rancorem, & inimicitiam contra alium gerebat, nec ulla ratione per moveri poterat, ut cum eo, quem oderat, & a quo in eo statu omnem opem, ac amorem sibi exhiberi sciebat, in gratiam rediret. Orabat sacerdos, &, quæcumque poterat, ad emolliendum pertinacem animum tentabat media: nunc precibus, nunc rationibus agebat, nunc vicinam proponebat mortem, & post eam securum terrible judicium, nunc æternæ damnationis minas intentabat: sed incassum omnia; præter amarum enim risum, & abnuentis signum datum capite nihil obtinuit. In hoc rerum articulo sacerdos inspirante, & movente ejus animum Deo (qui instrumenta sua regit, & mirabiliter sæpe assistit animarum curatoribus) Crucifixi effigiem sinu extractam ad moribundæ lectum projicit hæc addens verba: *ego te amplius non rogabo: iste te rogat: vide, num aliquid a te mereatur.* Et hoc unum satis fuit, ut animus quavis antea rupe

durior emolliretur. Eodem temporis momento ad mortualem suum lectum accersiri jussit eum, quem tam pertinaciter oderat, & cum eo inter uberrimas lacrymas in gratiam redivit: neque ab eo tempore ad mortem usque Crucifixum a se dimisit, neque hoc Divinæ erga se misericordiæ prodigium prædicare destitit, nunquam se, si ex hoc morbo sanaretur, eam Crucifixi effigiem sacerdoti reddituram professa, cuius aspectu præsentissimo æternæ damnationis periculo erepta fuisset.

Ah! mi JESU! ausim ego miser peccator tale aliquod hodie ab infinita tua misericordia prodigium petere, ut, si quis adesset tam induratus peccator, quem per hos annos nullus adhuc terror, nullæ preces, aut minæ ad agendum sinceram pœnitentiam movere potuissent, & qui fortassis nunc actu morti propior est, quam credat, & quam illa persona tunc fuerit, hodie ex aspectu Crucifixi moribundo propositi ad agendum serio, quam tanto jam tempore distulit, pœnitentiam moveatur? - - Et cur hoc a te petere non audeam, qui me fortassis ea causa illi spectaculo interesse

terefse voluisti, ut, quod ibi præ solatio ubertim lacrymans vidi, eo ad aliam animam convertendam uterer, cuius, quamvis a te retrorsum abeuntis, novo veluti prodigo misereri jam tunc constitutum habebas? Agam, quod potero, & in præsenti meditatione moribundo peccatori, qui pœnitentiam ad mortem usque distulit, Crucifixi effigiem ante oculos ponam: proponam eam autem tali, qui, quamdiu vixit, ad omnia surdus nec ratione, nec precibus, nec minis, ac terroribus, nec ipso adeo amabili, ac misericordiæ pleno Crucifixi JESU aspectu ad agendum pœnitentiam se moveri est passus. Duobus punctis absolvetur meditatio. In primo puncto ostendam, quod talis peccator, qualem nunc descripsi, ex aspectu Crucifixi in morte nullum habiturus sit solatium: in secundo puncto, quod ex hoc aspectu habiturus sit terribilem angorem, ac perturbationem.

### PUNCTUM I.

**V**ideamus igitur, & talem nobis peccatorem moribundum proponamus.

**V**ocor ad infirmum: accingo me ilico,

& pro more Crucifixi mecum effigiem accipio. Per viam illum, qui me vocavit, interrogo, sitne periculum grave, & propinquum? affirmat homo, & valde propinquum esse ait: simul me, quantum tempus sinit, edocere incipit, ad qualem infirmum me vocet. Rogo te Pater! moesta, & tremula voce ad me ait, adhibe conatum, quantum potes, ut hominem, ad quem te nunc duco, ad agendam pœnitentiam, & mortem Christiane oppetendam permoveas, & juves, cuius vitam Christiano homine prorsus indignam fuisse, nemo fere est, qui ignoret: o! quot ille, dum viveret, verbis, factisque suis scandala præbuit, quot innocentibus ruinæ occasio, & causa fuit. Ejus sermones in rebus fidei nihil, nisi libertatem, spirabant, sicutque illi solenne ea omnia, quæ ad religionem, DEI cultum, pietatem pertinent, mordaci lingua proscindere, contemnere, ludibrio exponere, & e sanctissimis quibusque rebus fabulam facere: his si sermonibus abstinuit, aut alienam liberamente proscindebat famam, aut obsecnum ejus os intolerabilem turpissimum fordium mephitim eructabat. Verbis

bis respondebant facta, quæ ille non jam occulte patrabat, sed publice, &, ut constarent omnibus, in colloquiis, & amicorum circulis, quæ fecisset, jactare solitus, de peccatis suis, tanquam totidem triumphis, & præclaris facinoribus, impudentissime gloriabatur : nulla ab eo facile neglecta est peccandi occasio, &, si quando aliqua illi obtigit, eam a se, quamdiu retinere illam potuit, certe non dimisit. Vita ejus omnis inter voluptates, epulas, diverticula, &, quidquid demum genio arridere potest, facta est: totus ejus animus in terrenis rebus fuit: pauperes nonnisi durum experti sunt: iræ impotens o ! quot excitavit jurgia, quot miseris a se oppressis lacrymas, & gemitus elicuit, quam gravem læsus vindictam quæsivit: quas adhibuit machinas, & fraudes, ut alios deprimeret, & se extolleret. Orantem, aut boni operis aliquid exercentem vidi nemo: in ecclesia nonnisi tunc conspectus est, quando sine gravi nota inde abesse non potuit: sanctissima ecclesiæ Sacra menta iemel duntaxat in anno ( si tamen tunc ) suscepit. Monita, quæ ab amicis, Confessariis, Concionatoribus, ad quos au-

diendos in amicorum gratiam aliquando, quamvis raro, accessit, ab aliis viris piis accepit, surdis exceptit auribus, risit, explosit, illud identidem dictitans, se jam in morte pœnitentiam acturum, tunc sibi ad eam satis fore temporis: nunc rebus aliis occupato non vacare tam tetricas cogitationes ad animum admittere, & optimum vitæ tempus ejusmodi melancholicis occupationibus impendere. Verbo: ut hominibus placet, ut mundi gaudiis frueretur, fecit, tulitque omnia: ut Deo serviret, ut animæ suæ saluti consuleret, nihil: aut, si quando etiam ad agendum seriam pœnitentiam permotus est, mox priorem vivendi consuetudinem repetiit, & plerumque postea deterior, quam prius fuerit, est effectus. Nunc in extremo versatur periculo: succurre Pater! ut potes. Jam a Medicis de periculo admonitus, ab amicis, ut sacerdotem ad se vocare, & animæ suæ rationes cum eo componere velit, inter lacrymas rogatus hæret immobilis: surdo fabula canitur: ejecturum se protestatus est, si quis sacerdos venerit. Sed quale hoc foret scandalum, si eum domestici abs-  
que

que sacerdote mori sinerent! Itaque Pater! ex his, quid agendum sit, tute facile conjicies: periculum scis, tuum erit pro viribus animæ succurrere. Intellexi omnia, quam arduum sit, quod aggredior, negotium, video: si quid spei superest, in sola infinita DEI misericordia reponi debet. Interea tentanda sunt omnia, & periculum ægro exponendum clare, & sine ambagibus, ne tempus frustra perdatur.

Ingredior itaque ad ægrum, &, quamvis eum me conspecto turbari videam, absterreri tamen me non sino, quin ad ejus lectum propius accedam. Ille me truci vultu intuens: quis te vocavit? Pater! iratus ait: aut quid hic tibi mecum est negotii? Ego placide, ac modestis verbis ad eum me in hoc ejus statu juvandum, ac solatio aliquo recreandum venisse repono. Bene, respondet æger: an morbo me levare, mihiique sanitatem potes reddere? si de corporis sanitate quæris, ajo, hujus curam gerent Medici, qualis ego non sum: si vero de animæ - - Apage igitur, iratus involat: quid hic vis? si te, aut tui similem voluero, jam vocabo: nunc aut

faceſſe, aut te hinc jubebo abigi. - Non  
me terres, bone vir! repono: multum  
mihi tecum eſt negotii: animam tuam  
volo, & per me DEUS illam vult. De  
vita tua conclamatum eſſe ſcito, nulla  
tibi ſpes diutius vivendi ſupereſt: mo-  
rieris ex hoc morbo, ne dubita, & for-  
tassis adhuc hodie. Dedisti corpori, de-  
disti mundo fere omnes vitæ tuæ an-  
nos: da nunc paucas, quæ ſupersunt,  
horas DEO, & animæ tuæ. Dedisti ami-  
cis integros non raro dies: da nunc  
pauca ſaltem momenta mihi, quo affir-  
mare auſim amiciorem tibi eſſe nem-  
nem. Audi me tantisper. Iter tibi in-  
ſtat longum, periculi, ac timoris plenum,  
arduum: ambulabis viam, per quam non  
reverteris amplius. Huic te viæ, huic  
itinéri bene peragendo accinētum eſſe  
vix credo: ſcis ipſe, qualis vita tua fue-  
rit: notiora ſunt tua ipsius prædicatio-  
ne peccata tua, quam ut latere aliquem,  
qui te novit, aut bonæ de ſalute tua ſpei  
adferre poſſint aliquid, niſi dilatam per  
tot annos poenitentiam nunc, dum ad-  
huc tempus eſt, apprehendas. Si vis,  
non eſt, quod metuas: in aperiendis  
peccatis tuis, quæ a te ipſo toties publi-  
cata

cata sunt, parum, credo, aut nihil difficultatis inherit: de sincero solum dolore, ac peccatorum detestatione, de concipienda spe veniae, & emendationis proposito agitur: fiduciam habe: si, quod in te est, feceris, infinite misericors Deus hanc tibi gratiam non negabit. Me promptum habes ad omnia, juvabo pro viribus, &, ut brevi hoc, quod restat, tempore salutem tuam in tuto collocem, nihil laboris, nihil curæ prætermittam. Hoc a te unum volo, hoc te per salutem animæ tuæ oro, hac sola de causa huc accessi: aliud mihi tecum nihil est negotii. Audisti? tua res agitur: quid ais? quid statuis? - - Ut te hinc auferas, Pater! &, si quidem ex hoc morbo moriendum mihi est, tranquillo saltem animo mori me sinas: hoc statui. - - Quid ais? tranquillo animo mori te ut sinam? & tranquillo animo mori poteris tu, cuius tota vita in peccatis acta est, cuius poenitentiam longanimitis DEI misericordia tot jam annis expectavit, & etiamnum expectat? & tu tranquillo morieris animo? an igitur immortalem te habere animam; & post hanc tibi vitam superesse aliam aut æternum

num felicem, aut æternum infelicem non credis? an propinquum Divini Judicis adventum non metuis? an tremendum ejus majestatem non expavescis? an apertum jam tibi infernalis carceris ostium non vides? & tu, qui hæc omnia ignorare non potes, tranquillo animo morieris? an insanis? obsecro: an tuam ultro animam trades dæmoni? ah! cogita, te obtestor, quid sit æternum ardere. - - Sed surdo fabula: jam dixi, Pater! iratus replicat: abi sane, nec mihi ultra facesse molestiam.

O bone JESU! quid nunc agam? si absterreri me sino, si hinc abeo, peribit anima tuo sanguine redempta, quam tu de meis forsitan requires manibus. Ah! Domine! misericordia! misericordia! memento sanguinis, quem pro hujus etiam animæ salute fudisti, memento laboris, quem ad illam quærendam impendisti, memento amaræ mortis, quam pro ejus salute in Cruce subivisti: per hunc sanguinem, per hunc laborem, per hanc mortem tuam misericordiam pro hac anima imploro, ne æternum perreat. - - Unum supereft, quod nunc occurrit: fors tuo Domine! aspectu move-

movebitur: - tentabo. - Audi miser! verbum unicum. - En! Redemptor tuus expansis in Cruce manibus, & inclinato capite te orat, ne se deseras, ne te ipsum perditum ire velis. Attolle tantisper moribundos oculos, & in hanc Crucifixi JESU effigiem conjice: vide vulnera, vide sanguinem pro te profsum: hæc tuæ in illum crudelitatis sunt vestigia: ah! perpende, quid egeris, & ingemisce, dole, veniam pete, & impetrabis: spondeo; nam & Latroni eam dedit. - - Sed nil moveris: siccis Redemptorem tuum intueris oculis: sic agis, quasi omnem plane sensum amisisses. Ecce! quomodo moritur justus, & tua causa, & pro salute tua moritur: & tu, qui peccator es, ita mori recusas? anne igitur corde non recogitas? an Redemptorem tuum frustra pro te mori sines? an tam amabilem DEUM tanta pro te passum unico amoris, & sinceri pro tot ei illatis injuriis, ac offendis doloris æctu dignum non existimas? adeone igitur humanitatem omnem exuisti, ut istorum tibi nihil ad cor transeat? - - Miror te Pater! respondet subridens æger, hæc apud me tam copiose proloqui, quæ pro me non

non sunt: aliis ista, per me licet, dicere, quantum voles, poteris: ego in iis neque pietatis sensum ullum, neque vel tantillum solatii reperio. - - Non credis igitur? - - Credo, scio, agnosco omnia: sed - - Ah! intelligo, quid velis: peccatorum tuorum gravitas, & multitudo tibi spem veniae reddit dubiam: dæmon temptationum suarum vehementia illud solatium eripere tibi nititur, quod ex amabili, & misericordiæ pleno Crucifixi JESU aspectu tibi sperare licet. Sed erige, erige mœstum animum, fiduciam concipe: en! Redemptor tuus peccata tua pertulit in corpore suo super lignum: si fuerint peccata tua, ut coccinum, quasi nix, dealbabuntur, &, si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana, alba erunt. Quid dubitas? miser! quid moraris illius te solatii participem efficere, quod Redemptor tuus in hac Cruce pro te pendens tam amanter, ac liberaliter tibi offert? - - Quæ tu mihi solatia somnias? respondest æger: solentur se hoc aspectu alii, quorum vita Crucifixo conformis fuit, aut, qui, dum tempus erat, egerunt pœnitentiam: pro me nihil prorsus in eo solatii est repositum: pro me misericordiæ

diæ tempus elapsum jam est: pro tot annorum gravissimis peccatis, pro tot datis scandalis, pro neglecta toties DEI ad pœnitentiam invitantis voce, pro tam diuturna, & pertinaci in faciendis pœnitentiæ fructibus sterilitate quomodo satisfaciam? ah! Pater! video bonum tuum erga me animum, & tibi pro eo gratias ago: sed frustra laboras: pauca mihi supersunt momenta, intra quæ pro tot peccatis satisfacere non possum. -- Quid desperas? potes, infelix! potes, si modo velis, etiam intra pauca hæc momenta satisfacere: Latronis in Cruce pœnitentis exemplum sequere: unico amoris, ac sinceri de peccatis omnibus doloris actu opus est: reliquum omne debitum jam DEI Filius pro te in Cruce persolvit: hoc infinito sanguinis sui pretio non pro tuis tantum, sed pro totius mundi peccatis Redemptor tuus satisfecit, & acceptatum est ab æterno Patre solutionis pretium: tu modo illud tibi vel per unicum veræ, ac sinceræ pœnitentiæ actum applica, & salva sunt omnia: ego, si vel unum vere pœnitentis animi signum dederis, JESU Christi authoritate, ac nomine ab omnibus pec-  
catis

catis te absolvam, & rata habebitur in  
cœlis absolutio: hoc tibi non meo, sed  
ipsius Christi nomine promitto. Spera  
igitur, & hoc, quod supereft, tempore  
ad salutem tuam utere. Amoris DEI,  
& sinceri doloris de peccatis actum eli-  
cere utique potes. - - Quæ tu mihi pe-  
regrina, & ignota refers nomina? ego,  
quid amare DEUM, quid de peccatis sin-  
cere dolere sit, nescio, nec, si scirem,  
elicere actus possem, quibus per vitam  
non assuevi: audivi quidem de hujus-  
modi actibus saepius: sed audivi etiam,  
ut recte fiant, singularem DEI gratiam  
requiri: hanc non mereor, quia toties  
abusus sum, nec sperare possum, aut exi-  
gere miraculum: igitur frustra in his  
actibus laborarem. - - (Ah! Domine!  
quam vere dixit David: *pro hac orabit ad  
te omnis sanctus in tempore opportuno.* Ve-  
rumtamen in diluvio aquarum multarum ad  
eum non approximabunt) - - Pergit æger.  
Christi sanguinem infiniti pretii esse scio,  
& abolendis totius mundi peccatis suf-  
ficere: sed hic ipse sanguis a me con-  
culcatus toties mihi nihil prodest. Jam  
mihi Christum ex hac Cruce ad me di-  
centem audire video: *vocavi te, & renui-  
sti:*

*sti : ego quoque in interitu tuo ridebo. De-*  
*sine igitur me in spem erigere, mihi que*  
*solatium polliceri Pater ! quod , cum*  
*habere possem, nolui : nunc, si vellem,*  
*habere non possum ; pro me enim tem-*  
*pus amplius jam non est. - - Jam de-*  
*sperare incipio : nunc agnosco , quam*  
*recte de talibus Psalmista dixerit : Domi-*  
*ne ! non est in morte, qui memor sit tui. - -*  
*Qui lectum circumstant , pallent, tre-*  
*munt, flent , ne desistam , orant. Sed*  
*quid remedii supereft, ut hæc rupes*  
*emolliatur ? Imploremus pro illo misé-*  
*ricordiam Divinam. Oremus. Respice,*  
*quæsumus , Domine ! super hunc famulum*  
*tuum, pro quo Dominus noster JESUS Chri-*  
*stus non dubitavit manibus tradi nocentium ,*  
*& Crucis subire tormentum. - Domine ! ne*  
*tradas bestiis animam confidentem tibi : & ani-*  
*mag pauperis tui ne obliviscaris in finem.*

## PUNCTUM II.

**R**edeo ad infirmi lectorum, & Crucifi-  
xum manu tenens his eum verbis  
alloquor. Audi cor durum, & impœ-  
nitens ! nihil apud te profeci haec tenus.  
Vide postremo Redemptorem : sed vide

E

etiam

etiam mox futurum Judicem tuum, elige, qualem habere illum velis. Si Redemptorem cupis, en! expandit brachia, & paratus est hoc adhuc momento te pœnitentem suscipere: quantacunque sint peccata tua, scito, infinites maiorem esse illius misericordiam: dole tantum ex animo, & salvaberis: sis licet indignus venia, sis indignus gratia, in has misericordiæ manus te projice, in hæc vulnera, in hoc cor amore tui apertum te immerge: adhuc tempus est, adhuc te expectat. - - Ah! tandem aliquando exorari te sine: an expectas, ut hæc Redemptoris tui vulnera novum pro te, & in oculis tuis effundant sanguinem, aut ut Redemptor tuus, quemadmodum indurato illi, cui Sanctus Franciscus Borgias adstitit, factum legitur, soluta de cruce manu exceptum sanguinem in os tibi conjici at? Ah! per hunc te sanguinem obtestor, cogita, quid agas. - - Sed turbaris, irasceris, fremere dentibus, & te contorquere incipis: cur vultum declinas? cur Redemptorem tuum intueri renuis? an amabilis ejus facies, an misericordiæ pleni oculi te terrent? - - Ah! exclamat miser:

ser: aufer a me hanc Crucem, & terribilem hunc vultum ab oculis meis remove. Judicem meum video, cui post pauca momenta sistar totius vitæ, & dilatæ ad mortem usque pœnitentiæ rationem redditurus. Hæc lingua contra me æternæ damnationis sententiam proferet, hæ manus me ad infernum projicient, hic Christi sanguis pro me profusus me æternum cruciabit. Ah! succurre Pater! succurre, si potes. Vides terribiles, quibus me Crucifixus intuetur, oculos, & peccata mea, & negligetas tot gratias, & frustra pro me profusum sanguinem mihi exprobrat? audis horribile vocis tonitru, quo mihi intonat: *queretis me, & non invenietis, & in peccatis vestris moriemini.* Vocavi te, & renuisti: ego quoque in interitu tuo ridebo? audis dicentem: verterunt ad me tergum, & non faciem: dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum? en! jam me Judex tradit tortoribus, jam in me dæmones parant irruere. Juva, juva, si potes. -- Ah! dæmon miserum ad desperationem adigit. Igitur: exurgat DEUS, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Ecce!

*signum Domini: fugite partes adversæ.* - Tace, exclamat æger, quid mihi maledicis? Pater! cur dissipari, cur fugere me jubes? an me inimicum, & adversarium Crucis esse nescis? Sed potes hoc adhuc momento non esse, si modo velis, per pœnitentiam. - Pœnitentiam? - Ita, pœnitentiam. - Quid est hoc: pœnitentiam? - Dole de omnibus peccatis tuis, & dic contrito corde: **DEUS!** propitius esto mibi peccatori: pœnitet me, & doleo ex amore tui o mi **DEUS!** quod te summum, & infinitum bonum toties, & tam graviter offenderim. - - Sed quid hoc? jam est mortuus. - - Ita, ita; jam est mortuus. - Requiem æternam - - Quid? quid dico? terrent me Augustini verba: *hac justissima animadversione punitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui, dum vixit, oblitus est DEI.* - Audio Paulum: *inimici Crucis Christi, quorum finis interitus.*

Subsistamus hic tantisper, & conjectis in Crucifixum oculis Augustinum audiamus. Sanctus hic Doctor in expositione Psalmi 34. mortis certitudinem æque, ac incertitudinem considerans his Divinum Redemptorem suum verbis

bis alloquitur : forte *cras moriturus sum :*  
*qua fronte te video ?* - Meditemur non-nihil hæc Augustini verba , nobisque ipsis applicemus , & interroget unusquisque Crucifixum JESUM : forte *hoc anno , forte hoc mense , forte post hoc triduum , forte cras , forte adbuc bodie moriturus sum : qua fronte te video , quando mihi moribundo sacerdos tuam in Crucce pendentis effigiem aspiciendam , & osculandam porriget ?* - *qua fronte te video* - ego , qui tot jam annis in tanta libertate vivo , qui peccata peccatis accumulo , qui derelicto fonte aquæ vi-væ mihi cisternas dissipatas , quæ continere non valent aquas , fodo ? - - *qua fronte te video* - ego , qui peccandi occasions , & pericula ultro quæro , qui in prava peccandi consuetudine tam diu constitutus sum , qui tot Divinas gratias , & inspiraciones negligo , nullis monitis , nullis rationibus , nullis terroribus , nec infinito tuo erga me amore , & exhibitis mihi beneficiis , ut peccandi finem aliquando faciam , moveri me fino ? - - *Forte cras moriturus sum : qua fronte te video* - ego , qui in fide sum languidus , in bonis operibus sterilis , in co-

gitationibus ad illicita objecta conver-  
sus, in verbis liber, detractor, lascivus,  
in his æque, ac operibus, & conver-  
sationibus meis scandalosus, dissolutus,  
mundi vanitatibus, corporis commodis,  
illicitis voluptatibus totus quantus im-  
mersus? - - *qua fronte te video* - ego,  
qui sensibus externis etiam in templo,  
& ipsius DEI conspectu omnem liberta-  
tem indulgeo, qui inordinatis meis cu-  
piditatibus semper obsequor, omnem  
boni occasionem negligo, vitam otiosam  
vivo, pravis sociis adhæreo, alios meæ  
curæ commissos, quos in virtute, &  
literis instituere deberem, peccare do-  
ceo, & innocentes seduco? ego, qui  
pietatem, & res sacras amaro risu, &  
sarcasmis perstringo, muneris mei, &  
Christiani hominis obligationes non im-  
pleo, respectibus humanis agor, homi-  
nibus placere unice quæro, Deo dis-  
plicere non curo? ego, qui res alienas  
sine omni remorsu servo, ut me exal-  
tem, alios opprimere non horreo, nul-  
lam pauperibus misericordiam, nullam  
proximo charitatem exhibeo, unice, quæ  
mea, & non, quæ JESU Christi sunt, quæ-  
ro? - - *Forte cras moriturus sum, qua fron-*  
*te*

te te video - ego, qui tanto jam tempore  
 poenitentiam differo, & juventute,  
 ac viribus meis fretus ad seram ætatem,  
 ad mortem usque differre statuo, qui  
 per annum nonnisi bis, vel ter, & tunc  
 sine ullo pietatis sensu, ex mera consue-  
 tudine sanctissima Sacra menta suscipio, &  
 post ea mox iterum in priora peccata  
 labor, nulla mihi a Confessario suppe-  
 ditata media adhibeo, peccandi occasi-  
 ones, & pericula repeto, nullum DEI  
 timorem, nullam salutis meæ curam ge-  
 ro: qui jam priore anno propter steri-  
 litatem bonorum operum, propter di-  
 latos poenitentiæ fructus succidi debui,  
 sed Christo pro me interpellante mise-  
 ricorditer uno adhuc anno dimissus sum,  
 & tamen sterilis esse pergo, bonorum  
 operum, & poenitentiæ dignos fructus  
 nondum feci, & nondum facio? qua fron-  
 te in ultimo vitæ meæ limine te video?  
 qua fronte te video? an mihi tunc Crucifi-  
 xi signum positum erit in resurrectio-  
 nem, vel in ruinam? ah! mi JESU! quan-  
 do moriturus sum, qua fronte te video?  
 O! quam vellem, ut quisque nostrum  
 quando Crucifixi effigiem aspicit, sal-  
 tem interdum hæc sibi Augustini verba

in memoriam revocet, secumque repeat: O bone JESU! forte *cras moriturus sum*: quando te in manus moriens accipiam, quando caligantes, & jam vitrescentes oculos in te conjiciam, qua fronte te videbo? sed practice hoc dicamus, practice, inquam, non speculative; secus enim hæc reflexio nobis nihil proderit.

Ah! mi JESU amore mei Crucifice! qua fronte moriens te videbo! o infinita misericordia! per sanguinem, crucem, & mortem tuam te obtestor, ut tunc mihi aspectus tuus mitis, ac festivus appareat; quam horrendum enim foret te iratum tunc videre: quam horrendum foret, si tunc mihi dorsum, & non faciem ostenderes. Scio, o JESU! scio, quid velis: jubes me nunc ad te converti, & promittis mihi, quod tunc ad me converteris. Ah! convertar igitur per sinceram, & non amplius dilatam poenitentiam: & jam nunc convertor, ac detestor ex amore tui, quod te toties dereliquerim: sed non derelinquam amplius: te in Cruce pro me pendentem semper posthac habebo præ oculis: sic ad te convertar in toto corde meo,

meo, dum vivam, ut, quando hinc existurus sum, te ad me conversum læta, & secura fronte videre merear. Amen.

## M E D I T A T I O IV.

D E

### HORRORE, ET CONFUSIONE PECCATORIS EX ASPECTU CHRISTI, ET CRUCIS EJUS IN JUDICIO.

**S**I tantus futurus est angor, ac perturbatione peccatoris indurati, & poenitentiam ad mortem usque differentis ex aspectu Christi Crucifixi in morte, quantus erit ejus horror, ac confusio ex hoc aspectu in judicio? *Hoc signum Crucis erit in cælo, canit Sancta Mater Ecclesia: hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit.* Consideremus igitur in præsenti meditacione peccatorem in judicio coram Christo, & ejus Cruce stantem, & quales in eo sensus hic aspectus producturus sit, videamus. Tria erunt meditationis puncta. In primo puncto considerabimus peccatoris in hoc aspectu horro-

rem ex agnitione: in secundo puncto ejus confusionem: in tertio puncto ejus desperationem.

## PUNCTUM I.

**C**onsidera, Matthæum Evangelistam, dum cap.24. extremum judicii diem, qualis futurus sit, describit, inter alias tremendi illius judicii circumstantias etiam hanc, tanquam singulari attentione dignam, referre: *tunc parebit signum Filii hominis in cœlo.* Quale sit hoc signum, non opus est inquirere; jam enim illud ab Ecclesia nobis indicatum agnivimus esse signum Crucis. *Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit.* - Consideremus igitur, & inquiramus, qualis futurus sit peccatorum sensus, quando hanc Crucem, & Christum Judicem, qui in ea nos redemit, ante suos oculos positum videbunt. Matthæus citatis paulo ante verbis mox subjungit: *& tunc plangent omnes tribus terræ.* Idem Deus per Zachariam Prophetam testatur dicens: *aspicient ad me, quem configixerunt, & plangent - & plangent.* - Ut hunc planetum, & agnitionis hujus horrorem

rorem clarius agnoscas, repræsenta tibi hominem Principi suo charum, & ab eo amplis honoribus, multisque beneficiis auctum, in actuali gravissimo perduellionis crimine deprehensum ante ejusdem sui Principis solio suo cum maiestate insidentis, & totius aulæ comitatu stipati oculos constitui, atque ita constitui, ut attentati flagiti instrumentum, ac testimonium omnium oculis expositum publice conspiciatur. Quidnam in hoc casu talis reus dicet? quidnam intra se cogitabit? quo illum horrore percellet vel hæc una cogitatio: iste, ante cujus oculos nunc sto, est meus Princeps, qui me tenere amavit, qui mihi plurimum boni fecit, & contra quem ego nunc aetu gravissimum perduellionis crimen ipsi Principi, & omnibus, qui cum eo adsunt, notum, ac manifestum commisi? Ego profecto neminem internos esse credo, qui non millies mori mallet, quam tale de se ipso spectaculum præbere, si etiam nullam aliam pænam haberet, quam a Principe metueret. Quodsi porro cogitaret: hic a me tantopere offensus Princeps me nunc statim publice judicabit, & secundum

om-

omnem justitiae rigorem judicabit, mirum erit, si præ horroris magnitudine exanimis non corruet. - Nunc igitur cogita, &, si potes, imaginare tibi horrorem illum, quo corripetur peccator, quando coram se positam videns Crucem Domini, atque ipsum Dominum, a quo in Cruce redemptus est, videbit, in quem transfixerit, & in majestate Judicis sedentem agnoscet illum, contra quem tetendit arcum suum, & quem posuit, quasi signum ad sagittam. Cogita horrorem illum, quo cognoscetur Dominus iudicia faciens, & in operibus manuum suarum comprehendetur peccator. Aspicient ad me, quem configerunt, & plangent, - & plangent.

Quod si olim fratres Joseph, cum ex ore fratri sui a se per invidiam venditi, nunc vero Pro-Regis Ægypti dignitate ornati hæc solum inter lacrymas prolata audirent verba: *ego sum Joseph, non poterant respondere nimio timore perterriti, quid erit, quando venientem in nubibus Judicem videbit oculus, & qui eum pupugerunt?* Quod si ad unam Christi in horto vocem: *ego sum, satellites, & ministri abierunt retrorsum, & ceciderunt in*

in terram : quid poterit , ut Magni Leonis verbis utar , quid poterit majestas iudicatura , si hoc potuit humilitas judicanda ? Cognoscetur Dominus iudicia faciens . - - O ! terribilis cognitio , quæ totam simul toties spreti , derelicti , & post corpus suum projecti DEI majestatem peccatoris oculis proponet . Ita Domine ! tunc aspicient ad te , quem configurerunt , & plangent . O ! aspectum plenum terroris , ac formidinis : O ! planetum amarum : sed nil tunc amplius peccatori profuturum . - O mi JESU ! quando parebit signum tuum in cœlo , quando in nubibus cœli cum virtute multa , & majestate venies , qua fronte te video ? qualem in me tunc sensum hic aspectus , & agnitus producet ? quid cogitabo , aut cogitare potero , si Crucem tuam toties a me desertam , & te in ea , quasi signum ad sagittam , a me posatum , si renovata peccatis meis tua vulnera , si profusum ex iis sanguinem , in seram ætatem , & ad mortem usque dilata , & ne tunc quidem aëta pœnitentia , video ? Scio timorem horribilem , quo ad hunc aspectum turbabuntur impii , dicentes intra se , pœnitentiam agentes , & præ angustia spiritus gementes ;

*tes; nos insensati, ergo erravimus a via veritatis, & justitiae lumen non luxit nobis, & sol intelligentiae non est ortus nobis. Et quid mihi aliud expectandum foret, si te tunc Judicem, quam nunc Redemptorem, agnoscerem mallem, si potius eligerem in te, quem transfixi, quam, a quo redemptus sum, aspicere? Ah! Domine! si sic agerem, qua fronte te viderem? - qua fronte te viderem?*

Considera ulterius, si solus apparentis in cœlo Crucis, & Divini Judicis aspectus tantum peccatoribus horrem adferet, & tam amare plangere illos coget, quid primo in iis factura sit illa agnitione, qua simul in aspectu Crucis, & Divini Judicis omnem ejus erga se amorem, impensum sibi laborem, exantlatos pro se dolores, & collata in se beneficia, simul in conscientia sua, tanquam infallibili speculo, omnes Redemptori suo illatas injurias, & totam illarum gravitatem, ac magnitudinem agnoscent. Hoc illud est, quod DEUS per Psalmistam peccatori minatur: *arguam te, & statuam contra faciem tuam.* - O terribilis scena! peccator in conspectu Christi, & Crucis ejus *contra faciem suam statu-*

statutus. Videmus in hoc mundo homines, qui adversus alium optime de se meritum grave scelus admiserunt, ad illius conspectum pallere, turbari, tremere, illius oculos omni studio declinare: & valde perficitæ frontis, ac projecti animi sit, oportet, qui ad oblatum sibi talis hominis aspectum nihil in turbationis oriri sentiat, etiamsi nihil sit, quod a tali metuat, etiamsi eum scelus contra se commissum ignorare credit, etiamsi hoc ipse scelus non tam grave, nec a se sine causa aliqua factum esse arbitretur. Turbationis hujus causa alia non est, quam rea conscientia, quæ crimen objicit, & talem hominem timoris expertem esse non sinit. Nunc itaque imaginare tibi, si ad conspectum hominis tantam vim habet commissi adversus eum criminis conscientia, quidnam illa factura sit, quando ad conspectum DEI majestate pleni peccator hujus ipsius DEI erga se amorem & suæ adversus eum ingratitudinis enormitatem clarissime agnoscat. Quisnam erit peccatoris sensus, quando cogitabit: hic est JESUS, qui me redemit, & quem ego persecutus sum: hic est fons aquæ vivæ,

vivæ, quem ego dereliqui, ut mihi ci-  
sternas dissipatas foderem: hic est, qui  
æternæ servitutis jugum morte sua a  
me abstulit, & ejus vinculis me exol-  
vit, cuius ego jugum confregi, vincula  
rupi, cui dixi: *non serviam*: hic est Rex  
tremendæ majestatis, quem sprevi, la-  
tronibus postposui, post corpus meum,  
post vilissimas creaturas, post momen-  
taneas voluptates projeci: hic est, ut  
ipse apud Jeremiam ait, scelerum meo-  
rum *judex, & testis*, de quo Chrysologum  
dicentem audio: *excusatione caret, qui fa-*  
*cinus ipso judice teste committit?* O crude-  
le spectaculum! intra se clamabit an-  
xius: nunc agnosco, quid sit abuti Di-  
vinis beneficiis, nunc agnosco, quid sit  
tam beneficium DEUM derelinquere, &  
spernere, nunc agnosco, quid sit ab eo  
tam amanter ad pœnitentiam vocante,  
& expansis brachiis expectante retror-  
sum abalienari: O! quis horror me cor-  
ripit, dum me ipsum video, dum vani-  
tates, & insanias falsas, quas tanto studio  
quæsivi, intueor, dum horribilem, in  
qua vixi, cœcitatem agnosco. O! si  
nunc Divini Judicis declinare possem  
oculos: O! si me ipsum videre non de-  
berem.

utentem audire: popule meus! quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? responde mibi. - - Quid palles? quid obmutescis? quid trepidas? responde mibi: quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? - an, quia redemi te in sanguine meo? an, quia proposito mibi gaudio pro te sustinui Crucem confusione contempta? an, quia expandi manus meas ad te non credentem, & contradicentem mibi? responde mibi, responde. - Quid est, quod debui ultra facere, & non feci tibi? responde mibi. - Pater meus, quando me pro te tradidit, etiam mecum omnia tibi donavit, animam, corpus, corporis sensus, animæ potentias, jus ad cœlum, inspirationes, gratias, salutis media, poenitentiæ tempus, creaturas omnes. Audire poteras Chrysostomum: oculum tibi fecit, oculum illi utendum exhibe, non diabolo: fecit tibi manus, has illi possideto, non diabolo: fecit tibi aures, illas ipsi exhibeto, non lascivis cantibus, & obscœnis fabulis. Responde. Ego te quæsivi in laboribus a juventute mea: ego languores tuos tuli, & dolores tuos portavi: vulneratus sum propter iniquitates tuas, & attritus propter scelera tua: meo livore sanatus es: ego propter te tanquam ovis ad occisionem

sionem ductus sum : obmutui, & non  
aperui os meum : ego dilectam animam  
meam pro te in mortem obtuli : ego  
pro te oravi : ego salutem tuam sicuti :  
ego te redemi in sanguine meo. - *Po-*  
*pule meus ! quid feci tibi ?* - Dicere tibi  
Chrysostomus poterat : animam tibi rede-  
mit, animam illi servato, non diabolo :  
corpus tibi redemit, corpus illi conse-  
crato, non obscoenis voluptatibus, non  
otio, non illicitis commodis : linguam  
tibi redemit, hanc illius laudibus impen-  
dito, non maledictis, non detractioni-  
bus, non spurciis, non scandalis, non  
libertinis sermonibus, non sarcasticis  
**contra fidem**, pietatem, res sacras dicte-  
riis, non humanis respectibus : oculum  
tibi redemit, hunc illi exhibeto, non  
lascivis aspectibus, non legendis libris  
scandalosis, & pestiferis : intellectum ti-  
bi redemit, hunc illi cognoscendo tri-  
bue, non rebus noxiis : voluntatem ti-  
bi redemit, hac illum amato, non vani-  
tates, & insanias falsas, & sic de pluri-  
bus. *Responde.* Scis, quid fecerim tibi,  
scis, quomodo, scis, quare fecerim :  
quis ego sim, agnoscis. *Responde igitur*  
*miki, responde.* - *Fecisti mala, & potuisti :*

bæc erat hora tua: dereliquisti Dominum  
**DEUM** tuum eo tempore, quo ducebat te  
per viam: de auro meo, & argento meo fecisti  
tibi imagines: servire me fecisti in peccatis  
tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus  
tuis: vertisti ad me tergum, & non faciem:  
projecisti me post corpus tuum. Hæc fecisti,  
& tacui: dissimulavi peccata tua propter pæ-  
nitentiam: vocavi te, extendi manum meam:  
renuisti: despexisti omne consilium meum,  
& increpationes meas neglexisti. Popule meus!  
quid feci tibi? responde mihi, responde. -  
Ubi nunc sunt dii tui, in quibus habebas fidu-  
ciam? surgant, & opitulentur tibi: en! ego  
nunc in interitu tuo rideo, & subsanno te:  
Comede nunc fructus viæ tuæ, tuisque consi-  
liis saturare. Quid ad hæc ais? quid re-  
spondes? an confusio faciem tuam non  
operit? an latebras, in quibus abscondar-  
is, non quæris? an montes, ut supra  
te cadant, & colles, ut te operiant, non  
inclamas? Ah! Domine! si in hoc  
statu, in quo nunc actu sum, si hoc ip-  
so momento judicio tuo sisterer, qua  
fronte te viderem? quam horribili con-  
fusione mea te hæc mihi exprobrantem  
audirem? Et tamen sic vivo, & sic per-  
go vi-

go vivere , quasi judicio tuo sistendus nunquam essem ?

Sed nondum satis . Idem Divinus Judex , qui sua nunc tibi exprobravit beneficia , *armabit* , ut de illo prædictit Sa- piens , *armabit* , inquam , omnem creaturam ad ultionem inimicorum . Nunc , nunc vi- debis scenam , quæ confusione te ope- riet . En ! jam prodeunt e sepulcris suis integræ turmæ gentilium , quibus Crux Christi , ut Paulus ait , fuit stultitia : hi omnes , velut dato signo in te involant , & hanc Crucem aspicere te jubent : en ! ajunt , signum , in quo DEUS - Homo moriens te redemit ? tu scivisti , nos in tenebris , & umbra mortis sedentes ig- noravimus . Ad hoc amoris prodigium humana omnis ratio succumbere debuit , DEUM in humana carne pati pro homi- ne tam nobis fuit incredibile , tam im- possible visum est : ut stultitiam crede- remus . Sed hominem a DEO sic redemp- tum , & hoc credentem usque adeo in- gratum esse , tantique beneficij immemo- rem , ut Redemptorem suum spernat , redemptionem negligat , & tanto re- demptus pretio perire ultro velit , hæc insana est rabies , hoc monstrum , quale

nec infernus protulit, de quo vel cogitari absque horrore non potest. Ennunc a Divino Judice adversum te armati progredimur, ut te in totius mundi oculis condemnemus, ut tibi exprobremus gratias, quibus nos caruimus, ut te etiam nobis execrabilem, & æternis maledictis dignum pronunciemus. O! quam horribilis confusio hæc coram toto mundo audire debere, & propriæ conscientiæ testimonio convictum contradicere non posse. Qualis primo futura est confusio, si ipsæ adeo vittæ, & sensus expertes creaturæ adversum te armatæ fuerint, ut te confundant? si sol in Redemptoris tui morte obscuratus, tremore succussa terra, scissæ petræ tuam tibi ingratitudinem exprobrabunt? O! si hæc in nobis toties repetita fuissent prodigia, hæ tibi creaturæ videbuntur dicere, quoties a te rursum crucifixus, & ostentui habitus est DEI Filius, quam pridem mundi hujus machina perivisset. Nondum satis. Vide, vide confurgentes adversum te **creaturas omnes**, & ad pugnandum contra te cum Redemptore tuo accinetas: an non vides testes tuorum scelerum crea-

creaturas omnes illas, quibus ad ea per-  
petranda, aut tegenda abusus es? an eas  
de vi sibi a te illata conquerentes non  
audis? O! quoties hæ tibi Redempto-  
ris tui enarrarunt beneficia, sed a te non  
auditæ sunt: quoties vanitatem tibi suam  
ostenderunt, & tu tamen vel invitas ama-  
sti. En! ut te nunc detestentur omnes :  
en! ut ad ultionem de te sumendam ar-  
mentur. O te confusione plenum, qui  
impressum fronti opprobrium tuum to-  
ti mundo exhibes, qui tot mutis testi-  
bus confunderis, qui, quidquid vides,  
ad te perdendum armatum intueris?

Sed levia sunt ista: Crucem, cru-  
cem Domini aspice, si potes: vide ad  
eam in gaudio, ac cordis jubilo stantia  
tot Sanctorum millia: audi eorum Cho-  
ros lætis vocibus canentes: redemisti nos  
*Domine DEUS in sanguine tuo ex omni tri-  
bu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti  
nos DEO nostro regnum, & regnabimus.* An  
eos nosti? hi sunt, qui laverunt stolas suas,  
& dealbaverunt eas in sanguine agni. Inter  
hos tu esse poteras, & facile poteras:  
cur non es? ecce! quorum tu vitam  
æstimabas insaniam, & finem illorum sine ho-  
nore, quomodo computati sunt inter filios *DEI*,

¶ inter Sanctos sors illorum est. Vide latronem, vide publicanum, vide adulterum, vide mulierem, quæ erat in civitate peccatrix, vide pauperem Lazarum: ecce! inter Sanctos sors illorum est: quomodo computati sunt inter filios DEI? per poenitentiam: & tu non poteras? vide, ut isti omnes tuam tibi ignaviam exprobrent, ut te subsannent, ut suam in Christi Cruce gloriam ad extremam tuam confusionem extollant. Ecce! lignum Crucis, ajunt, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra: in quo salvati, & liberati sumus. Non erubescis? non confunderis? nondum ignominiam tuam agnoscis? vide adstantes illic, quos tu in terris contempsisti, oppressisti, persecutus es, quorum vitam Crucifixo conformem tam amaro risu, sarcasmis, dictiis proscidisti: vide, ut isti a te in mundo angustiati, & afflitti, nunc ad crucem securi consistant, ut tibi insultent, ut ex te quærant: quem fructum tunc habuisti in illis, in quibus nunc erubescis? audi eos clamantes; ecce! signum Domini: fugite, fugite partes adversæ: sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie DEI.

**DEI.** Quid ais ad ista? quid respondes? an extremam tuam coram totius mundi oculis confusionem nondum intelligis? an torporem, ignaviam, pertinaciam tuam, an tot beneficiorum abusum, & tam supinam in salutis tuæ negotio, in adhibendis, quæ tibi Christus paravit, mediis negligentiam non detestaris? O te miserum! si ad conspectum Crucis videris ea omnia, quæ tanto studio quæsivisti, mera fuisse somnia, & cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. O! quam illic pudoris, ac confusionis plenus adstabis.

### PUNCTUM III.

**N**unc igitur quid supereft, quam ut tam funestam scenam multo funefiior catastrophe concludat? En! te nunc inter inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, & gloria in confusione ipsorum. Quis tibi adhæc sensus? quis animus? vide, si potes, in Christi vulneribus prote siccatos, & clausos pietatis fontes. Vide, quod adversum te erat, chirographum non jam deletum, & affixum Crucis: sed renovatum, a cruce revul-

sum, & adversario tuo in manus traditum. Vide a signo, quod ad sagittam posuisti, revertentes in caput tuum sagittas inebriatas sanguine. Nunc, nunc furor ejus in te complebitur : en ! jam illius Zelus armaturam accipit : jam Creatura omnis ad ultionem inimicorum ejus armatur. An non in ira indignationis suæ dicentem audis : *Vos non populus meus : & ego non ero DEUS vester.* Nunc, nunc in te completur , quod per Psalmistam dictum est : *velut somnium surgentium Domine ! in civitate tua imaginem ipsorum ad nibilum rediges.* Ubi nunc est præstolatio tua ? en ! spes tua, quasi lanugo a vento ablata est, & tanquam spuma gracilis a procella iræ , ac furoris Domini dispersa. En ! jam victor Leo de tribu Juda rugire incipit : en ! jam ex ore Judicis horrendum illud tonitru adversum te egreditur : *discede a me maledicte ! vocavi enim te, & renuisti : extendi manum meam, & non aspexisti : nunc & ego in interitu tuo ridebo, & subsannabo, cum tibi interitus , quasi tempestas ingruerit :* en ! jam extendit manum , ut te in abyssum projiciat. O ! quis te ad ista luctus, horror, desperatio invadet. Ubi te nunc  
abscon-

abscondes a vultu iræ Domini? & a facie furoris ejus quo ibis? - Audio te cum insanis illis clamantem: ergo erravimus a via veritatis? sed inutilis clamor, quem nemo exaudit. - - Video te desperatione plenos oculos in Crucem conjicere: ah! exclamas, hanc mihi Crucem ex oculis auferte: hanc ut non videam, montes super me cadite, colles me operite. Hæc sua olim ad me extendit brachia, sibique inferi me voluit, ut pœnitentiæ fructum facerem: annum habui, & amplius: O! si nunc daretur hora: O! si momentum unicum: sed heu me æternum miserum! *tempus non erit amplius.* - O! crux terribilis! cessa mihi eum, quem in te confixi, aspicendum proponere: cessa mihi exprobare pretium, quo in te redemptus sum: cessa terribiles illas voces: *perditio tua ex te,* meis usque auribus intonare. - - Heu! quis horror? audio tremendum illud fulmen: ecce! signum Domini: fugite partes adversæ: fugio, &, ne videre hanc Crucem cogar, in æternæ noctis immane chaos diffugio.

Ut hanc meditationem cum fructu claudamus, recolamus pro fine verba illa,

illa, quæ Ecclesia de Cruce canit, & quæ sub initium audivimus: *Hoc signum Crucis erit in cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Cogitemus, neminem e nobis futurum, qui hoc signum in tremendo illo judicii die ante suos oculos posatum non videbit. An hujus signi aspectus nobis tunc fiduciam, an horrorem, confusionem, desperationem allaturus sit, si scire volumus, vitam nostram, conscientiam, & sensus illos, quos aspectus Crucis in nobis nunc efficit, interrogemus. Si nunc aspectus Crucis veram nostri ipsorum agnitionem in nobis producit, si ex ea salutari de peccatis dolore confundimur, non est, quod in judicio ex aspectu Crucis metuamus. Sed, si nunc nobis Crux in signum posita esset, cui a nobis contradicitur, si horrori nobis esset illa, quæ cum Christi Cruce conjuncta est, confusio, si in alio aliquo, quam in Cruce Domini, quæreremus gloriam, o! quam horris, confusionis, desperationis plenus aspectus Crucis in judicio nobis foret. O! mi JESU! quantus esset tunc terror, si in Cruce tua proposita mihi viderem ea omnia, quæ tu mihi in illa exhibuisti,

sti, beneficia, quibus abusus sum: si vi-  
derem sanguinem, quem in illa pro me  
fudisti, & ego sprevi: si viderem gra-  
tias, quas in ea mihi præparasti, & ego  
neglexi. *Hoc signum Crucis erit in Cœlo,*  
*cum Dominus ad judicandum venerit:* hoc  
signum, velint, nolint, videbunt omnes  
illi, qui nunc terrena tantum sapiunt,  
quibus Crncis ignominia stultitia vide-  
tur. Hoc signum, velint nolint, vide-  
bunt omnes illi, qui nunc ex ignavia,  
amore proprio, horrore difficultatis, aut  
humanis respectibus absterreri se sinunt  
ab implendis iis, quæ desunt, passionum  
Christi in corpore suo per bona opera,  
Christianam vitam, & aëtam in tempo-  
re opportuno pœnitentiam. Hi omnes  
in tremendo illo judicio, aspicient ad eum,  
quem fixerunt, & plangent. - *Hoc sig-*  
*num Crucis erit in Cœlo, cum Dominus ad*  
*judicandum venerit.* O Crux benedicta!  
in tremendo illo die qua fronte te vide-  
bo? - Forte hoc adhuc anno judicandus  
sum: qua fronte te video? - O Crux  
Domini mei! quoties te nunc conspe-  
xero, toties intra me dicam: *hoc signum*  
*Crucis erit in Cœlo, cum Dominus ad judi-*  
*candum venerit:* quoties jurati tui hostes,  
mun-

mundus, caro, dæmon, humani respe-  
ctus, amor proprius me ad peccandum  
volent pertrahere, toties ad te confu-  
giām, & dicam: ecce! signum Domini, fu-  
gite partes adversæ, ne ego vestra causa in  
judicio ab hoc signo Domini fugere ju-  
bear. O benignissime JESU! adoramus  
te, & benedicimus tibi, quia per san-  
ctam Crucem tuam redemisti mundum.  
Ah! mi JESU! per hanc Crucem tuam,  
& pretiosum sanguinem, quem in ea  
pro me fudisti, te obtestor: dum vene-  
ris judicare, noli me condemnare. Nunc  
O Domine! dum tempus est, aspiciam  
in te, quem peccatis meis toties confi-  
xi, & plangam per veram, & non dila-  
tam poenitentiam, ne planctus meus tunc  
sit inutilis. Nunc amplectar Crucem  
tuam, & cum Paulo dicam: *mibi absit*  
*gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU*  
*Christi, per quem mibi mundus crucifixus*  
*est, & ego mundo: ne tunc inter inimicos*  
*Crucis tuæ collocer, quorum finis in-*  
*teritus. Nunc carnem meam crucifigam*  
*cum vitiis & concupiscentiis: nunc pro-*  
*posito mihi gaudio sustinebo Crucem,*  
*confusione contempta, ut tunc in Cru-*  
*ce salutem inveniam.* Amen.

ME-

## MEDITATIO V.

CHRISTUS CRUCIFIXUS  
MAXIMUM CHRISTIANORUM IN  
INFERNO TORMENTUM.

## INGRESSUS.

**S**I Christus Crucifixus peccatoribus in morte tantam desolationem , & angustiam, in judicio tantum horrem, confusionem, ac desperationem adferet, nihilne ex ejus recordatione tormenti in inferno damnati patientur ? Ad hanc quæstionem Rupertus Abbas libro 4to in Joannem respondet dicens : *veneranda Domini vulnera æterna futura sunt incendia.* O ! quam terribile tormentum hæc verba significant, quod ex Christi Cruce, & ejus vulneribus damnati sustinebunt. In quonam hoc tormentum consistat, si quærimus, Innocentius III. Pontifex illud explicat, dum ait: *affliget memoria: sera turbabit pœnitentia: torquebit angustia.* Hæc nobis verba præsentis Meditationis materiam, & divisionem subministrabunt. Proponemus nobis

bis Christianum peccatorum in inferno,  
 & in tribus punctis ita secum ipso lo-  
 quentem considerabimus. In primo pun-  
 pūcto : Christus pro me in Crnce mor-  
 tuus est, & ego sum damnatus : *affliget  
 memoria.* In secundo puncto : Christus  
 pro me in Cruce mortuus est, & ego  
 propria culpa, & mea ipsius ignavia sum  
 damnatus : *sera turbabit pœnitentia.* In  
 tertio puncto : Christus pro me in Cru-  
 ce mortuus est, & ego sine ulla spe,  
 ac remedio sum æternum damnatus :  
*torquebit angustia.*

## PUNCTUM I.

**D**escende igitur cogitatione tua ad in-  
 fernum, & inter innumerās, quas  
 ibi vides, gentilium, Judæorum, Tur-  
 carum æternum infelices animas vide  
 animam Crucis signo in fronte notatam  
 in horrendo illo flamarum mari æstu-  
 antem. Interroga infelicem animam,  
 quid hic agat, & quid impressum ejus  
 fronti Crucis signum sibi velit. - Ah !  
 exclamat misera : quid hoc mihi fune-  
 stum signum in memoriam revocas, quod  
 utinam his flammis pridem obliteratum  
 fuis-

fuisset? - quid tibi, & mihi est JESU Nazarene! quod in hunc tormentorum locum veneris, ut me multo gravius torqueres? - O recordationem terribilem! o tonitru auribus meis semper insonans: *Christus pro me in Cruce mortuus est:* - & ego sum damnatus. - O Crux! quid me hic in inferno persequeris? quid mihi beneficia, quæ per te accepi, objicis? quid mihi redemptionis pretium exprobare non cessas? - Scio, te mihi in ruinam esse positam: sed cur hujus semper meminisse debeo? cur te impressam fronti cogor gerere? cur tui oblivisci non possum? Non amavi te, dum vixi, fateor: inimicus tibi fui, non nego: & propterea in judicio a conspectu tuo fugere debui: quid me igitur persequeris? cur me a conspectu tuo fugere non finis? quid mihi Christum pro salute mea in te mortuum repræsentas? an meam adversum te provocare rabiem, an a me maledici desideras? en! provocas: maledico, & æternum maledico. O memoria crudelis! quid me affligis? quid mihi semper occinis: *Christus pro me in Cruce mortuus est:* & ego sum damnatus? O! ut in his tenebris te non vide-

am : O ! ut tui sic oblivisci possim, sicut te mei oblitum esse scio. Sed frustra laboro : memoria memor tui ero, & tabescet in me anima mea. O acerba memoria ! quantum me in hoc tormentorum loco affligis.

*Christus pro me in Cruce mortuus est. - Ah ! agnosco pretii , quo me redemit, magnitudinem, cuius vel una gutta extinguis his incendiis sufficeret. Hoc igitur pretium an pro me persolutum non est ? an pro me fortasse non suffecit ? - persolutum est, suffecit, & abundantanter quidem : - & ego sum damnatus ? Quinam autem hoc fieri potuit ? non perdit homo, quod emit auro suo, & perdet DEUS, quod emit sanguine suo ? Non , non , hoc esse non potest : tali emptus sanguine perire nequeo : ad hunc tormentorum locum immerito detrusus sum. Christus pro me in Cruce mortuus est : - & ego damnatus ? - Non : tantum pretium frustrari non potest : triginta trium annorum labor a DEI Filio pro me impensus quomodo iritus reddetur ? - Sed frustra clamo, frustra me torqueo : Christus pro me in Cruce mortuus est : & ego sum damnatus. O funestam ! o terribilem memoriam ! - -*

Ergo

Ergo talis in me sanguis periit? ergo tantum pro me pretium frustra est impensum? ergo, quod tot aliis profuit, mihi prodesse jam non potest? Cur hic sanguis igitur pro me profusus est? cur me redemisti Christe! si peritum sciveras? saltem tuus me sanguis in inferno persequi, & frustra se pro me profusum exprobrare non posset. O sanguis! o vulnera! o æterna mihi incendia!

*Christus pro me in Cruce mortuus est: & ego sum damnatus.* - Ah! cessa, cessa mihi mortis hujus causam, finemque oggerere. O crudele spectaculum! amorem tuum video, heu me! amorem, quo me miserans attrahere voluisti. Ah! quid expansa brachia? quid inclinatum caput? quid cor apertum mihi exhibes? quid me mihi in tuis olim descriptum manibus, nunc deletum ostendis? ah! cur me tantopere amasti, si damnari debui? an sic amandus a te sui, ut me hic amor in inferno crudelius torque-ret? an igitur hæc, quæ patior, tormenta non sufficiunt? cur aggravatur super me manus tua? cur omnes fluctus tuos induxisti super me? Vide, ut

in hac flamma crucior, cur tua mihi vulnera, quæ multo graviora sunt incendia, non abscondis? *Christus pro me in Cruce mortuus est: & ego sum damnatus.* Ah! nunc denique agnosco, quale mihi, quantumque bonum tua morte donare volueris: nunc, quid amiserim, video: nunc intelligo, ad qualem statum sim redactus. O! cur intellectus meus cœcus ad omnia hoc solum intelligit? cur memoria aliorum omnium oblita hoc unum cogitat? cur indurata voluntas hoc unum vult, quod prius noluit, & nunc habere non potest? Ah! cessarugire Esau! quod primogenita, & Patris tui benedictionem amiseris: cessa flere Micha! quod deos tuos, quos fecisti tibi, tulerint: cessa Absalon! tabescere, quod Patris tui conspectu prohibearis. Damna vestra nihil sunt, sunt bona, si cum meis conferantur. *Christus pro me in Cruce mortuus est: & moriendo filium Dei me fecit, hæreditatem æternam, jus ad cœlum, ad Dei conspectum obtinuit: & ego sum damnatus, filiorum Dei sorte excidi, ad cœlum, ad hæreditatem jus omne perdidi, Dei conspectu careo, & æternum carebo.* O damnum inefabile!

fabile ! o irreparabilis jaetura ! o si hæc  
me habuisse non scirem , aut oblivisci  
saltem possem. Sed hæc Crux, hæc vul-  
nera mihi semper ista in memoriam re-  
vocant, quid habere potuerim, quid  
amiserim, ostendunt. O Crux ! o vul-  
nera ! qualem olim in vobis spem , ac  
fiduciam , quam certum salutis pignus  
habui: sed nunc proh dolor ! nil in vo-  
bis, nisi cruciatum quibusvis incendiis  
diriorem, deprehendo. O horribilis !  
o poenis omnibus aliis multo crudelior,  
quæ me affligit , memoria : Christus pro  
me in Cruce mortuus est : & ego sum dam-  
natus.

## PUNCTUM II.

Sed cur ergo sum damnatus ? si Chri-  
stus pro me in Cruce mortuus est ,  
& moriendo me redemit , quale ergo  
dæmon in me jus habuit ? quis me illi  
tradidit ? quis in tam horrendam servi-  
tutem redire me fecit ? - Ah ! Divine  
Judex ! tu fecisti : tu contra me terri-  
bilem æternæ damnationis protulisti  
sententiam : tu me huic carceri , & tam  
crudelibus tormentis adjudicasti : mene  
igitur tuo redemptum sanguine perire

ipse voluisti? - Sed heu me miserum! quid mihi funesti rursum de Cruce intonas? *perditio tua ex te*, ait, *in me auxilium tuum*. - Ah! quam horrendum hoc in auribus meis tonitru: *perditio tua ex te*. - Igitur mea ipsius culpa perii? & potui non perire? - Ita est, agnosco, & vel invitus fateri cogor: hæc me Crux **convincit**: hæc mihi excusationem omnem adimit: hæc me infernum evadere potuisse, & facile potuisse mihi luce omni clarus ostendit. - - *Christus pro me in Cruce mortuus est: & ego propria culpa, ego mea ipsius ignavia sum damnatus.* - - O terribilis veritas! quam in tanta fidei, & gratiarum luce nunquam agnitam, sed semper a me neglectam nunc inter horridas infernalis carceris tenebras, velut in meridie positam video, & agnosco. *Ego propria culpa, & mea ipsius ignavia damnatus sum: infernum evitare potui, & facile potui.* Et cur non potuissem? Christi sanguine servituti dæmonis ereptus, & in filiorum DEI libertatem assertus nihil jam ultra in me damnationis habui: quam in baptismo accepi, gratiam conservare utique, si voluisssem, potui: quod præmature amiserim,

rim, in Deo culpa non fuit: o! quot ille mihi suppeditavit media: o! si vel uno eorum recte usus fuisset. Ah! *perditio mea ex me.* Illi socii, quorum blanditiis tam faciles aures præbui, quibus displicere nolui, illæ occasionses, & pericula, quibus me immisi, illa libertas, quam indulsi sensibus, ille juvenilis ardor, qui omne frœnum respuit, hæc, & his similia heu! quam cito me mihi, Deoque eripuerunt: o anni juventutis meæ! o funesta malorum meorum, & æternæ meæ damnationis initia! quo abiistis? o! si vos nunc mihi revocare liceret: ah! redite, redite, & his me flammis eximite. Sed proh dolor! *dies mei transferunt:* ambulavi viam, per quam reverti non possum. O sera nimis poenitentia! quantopere me nunc turbas. O! cur tunc maledictis illis, qui me seduxerunt, sociis hanc, quæ me tantopere nunc torquet, Crucem non opposui? cur non dixi: ecce! *signum Domini:* fugite, fugite partes adversæ? o maledicta libertas! quæ me perdidit: o maledictum hominibus placendi studium! quod me tam cito in transversum egit. O! quot tunc a me salutis

monita surdis auribus excepta sunt: o! quot correctiones spretæ, ac ludibrio habitæ: quot rejectæ inspirationes, quot ad bonum occasiones neglectæ. O! quis me tunc fascinavit non obedire veritati, ante cujus oculos JESUS Christus præscriptus erat in me crucifixus? o! quam libenter omnium damnatorum solus sustinerem supplicia, si vel unum horum mediorum iis emere nunc possem. Sed perii, quia perire volui. Agnosco: perditio mea ex me: perditio mea ex me.

Christus pro me in Cruce mortuus est: & ego propria culpa sum damnatus. Creverunt cum annis damnationis merita: lassatus sum in via iniquitatis: ambulavi vias difficiles: viam Domini ignorare volui. O! me miserum! quomodo erravi a via veritatis? quid mihi profuerunt omnia? transferunt, sicut umbra, & in malignitate mea consumptus sum. Deducite nunc lacrymas oculi mei! - sed inutilis poenitentia! quid me turbas? tempus non est amplius. O Crux! cur te mihi semper ostendis, ut me torqueas? &, cum amplecti te volo, cur fugis? nihil igitur in te mihi supereft præsidii? ah! ex tot, tantisque sanguinis in te profusi rivis

rivis vel unam indulge guttulam. Sed tu me rejicis : tu fugis : tu misericordiæ fontes obstruis : tu funestum illud : *quærētis me, & non invenietis*, inclamas. O fallax tempus ! cur tibi credidi ? O poenitentia mihi oblata toties ! cur e manibus te dimisi ? - At enim difficultatem tecum conjunctam horrui, poenitentiæ labor me absterruit, &, ut rem tam arduam ad mortem usque differrem, effecit. O ! me insipientem ! quomodo ita insanire potui ? ut momentaneum laborem , ut difficultatem modicam, eamque apparentem potius, quam veram , effugerem , infernum, & æternum inutilem poenitentiam elegi. Pœnitentiam post tot commissa peccata mihi necessariam esse scivi , sine illa me æternum peritulum ignorare non potui : cur igitur non egi ? an illius agendæ tempus , an occasionem non habui ? ah ! quam mendax essem , si tali aliquo prætextu excusare me vellem ! o ! quantum mihi temporis ad pœnitentiam concessum est , quot ad eam mihi occasiones oblatae, quot data monita, quot internæ inspirationes , quoties salutaris terror animo injectus : sed restiti , ad

ista omnia risi, explosi, seram ætatem,  
mortem expectavi: o! si harum nunc  
occasione vel unicum haberem: ah!  
agnosco, mea me ignavia, mea væcordia  
ad infernum præcipitavit. *Perditio*  
*mea ex me: recte ais o DEUS! ex me,*  
*inquam, perditio mea: in te auxilium meum.*  
Jam pridem a te propter sterilitatem  
meam succidi, & in hunc ignem mitti  
debui: sed respexisti sanguinem tuum  
pro me profusum: ne hic periret, a te  
tot annis misericorditer dimissus sum,  
fodisti circa me, misisti stercora, per  
Cruces, afflictiones, mala temporalia mihi  
mundi vanitates amaras reddere, &  
me ad Crucem tuam per poenitentiam  
attrahere voluisti: sed nolui, recalcitra-  
vi, amantis Patris disciplinam exosam  
habui: pro amicis, otio, voluptatibus  
tempus nunquam defuit: pro agenda  
poenitentia ne momentum quidem uni-  
cum inveni: dedi corpori, dedi mundo,  
dedi temporalibus curis annos, para-  
tus etiam dare sæcula: animæ, Deo,  
poenitentiæ ne unam quidem horam ut  
darem, adduci potui: ut hominum mihi  
favores conciliarem, ut plausus, ho-  
nores, divitias obtinerem, quantum la-  
bora-

boravi, sudavi, alsi, nullum neglexit tem-  
 pus, nulla me difficultate absterreri pas-  
 sus sum: solus pœnitentiæ labor, sola  
 bonorum operum difficultas mihi tantæ  
 visa est, ut superari eam a me non pos-  
 se crederem, ut eam aggredi non aude-  
 rem: ut scientias mihi terrenas, & do-  
 ctrinæ existimationem compararem,  
 quot evolvi libros, quot in hominum  
 obsequiis, & temporalibus negotiis con-  
 scripsi chartæ volumina: o! si ad dis-  
 cendum pœnitentiæ modum, ad obti-  
 nendam scientiam salutis vel unicum le-  
 gisse libellum, o! si vel unum adhi-  
 buisse folium ad sinceram peccatorum  
 meorum confessionem conscribendam:  
 quando morbo laborabat corpus, quan-  
 tam illico solitudinem adhibui, quam  
 prompte medicinis usus sum, quanto  
 studio, quidquid corporis sanitati no-  
 cere potuit, vitavi: quando in pecca-  
 tis languebat anima, remedia per annos  
 distuli, novis eam periculis quotidie  
 temere exposui, de adhibenda illi cura  
 ne cogitavi quidem: - quando homi-  
 nem potentiorem aliquem, cuius mihi  
 favore opus erat, vel leviter a me of-  
 fensum credidi, quanta cum doloris  
 signi-

significatione, quanta demissione animi ab eo veniam festinavi petere : & quando DEUM gravissimis a me peccatis offenditum esse scivi, risi, in utramque dormiti aurem, de dolore, de petenda venia ne in mentem quidem venit : o ! quam merito igitur, qui, cum possem, nonlui, amisi posse, cum vellem : o ! si nunc daretur hora : o ! si vel momentum unicum ex iis omnibus, quæ tam temere neglexi. O ! sera pœnitentia ! quam horribiliter me turbas. *Perditio mea ex me : perditio mea ex me.*

Ah ! agnosco : sed sero nimis agnosco : *Christus pro me in Cruce mortuus est :* & ego propria culpa, ego mea ipsius ignavia sum damnatus. O ! quam facile salvare poteram, si toties monitus pœnitentiam in tempore opportuno agere voluissem. Et quid tandem in illa difficultatis inerat, quod me tantopere ab ea agenda absterrere debuisset ? Ah Crux ! ah Christe ! quantopere me nunc confunditis. O terribilis recordatio ! *Christus pro me in Cruce mortuus est.* Qui mihi nihil debuit, nullum pro me laborem, nullum dolorem, & ne acerbissimam quidem mortem horruit : & ego vel unius sincerae

ræ confessionis, verique de peccatis doloris tantum horrorem concepi? ille pro me integros sui sanguinis rivos fudit, ut me a peccatis ablueret: & ego pro iis delendis ne unam quidem lacrymam? ille pro me tot contemptus, blasphemias, opprobria, irrisiones patiens sustinuit, nec iis ad me deserendum motus est: & ego pro illius honore ne unum quidem verbulum tolerare potui, quo vis hominum risu, aut dicteriis me ab illius obsequio, ab agenda pœnitentia avocari sum passus? ille, ut me ad se per pœnitentiam attraheret, ut illam mihi faciliorem redderet, egit, passus est omnia: ego, ut illi responderem, ut vel tantillum de meo conatu adderem, quid egi? quid passus sum? nihil: ille mea in se suscepit, & innocens exolvit debita: ego reus, & illis exolvendis impar, ut vel semel contrito corde veniam peterem, nimis durum existimavi? O! si amorem illum cogito, quo me vocasti, quo te ad me inclinasti, quo ad me suscipiendum manus extendisti, quam inanis meus horror, quam nulla prorsus pœnitentiæ difficultas fuerit, quantum mea me ignavia, meus amor  
pro-

proprius, meum commoditatis studium deceperit, agnoscere debo, & heu! sero nimis, agnosco. O! inutilis pœnitentia! quomodo me conturbas. Christus pro me in Cruce mortuus est: & ego propria culpa, ego mea ipsius ignavia sum damnatus. Ride nunc, ride, & subsanna me Christe! vocasti me, & renui: extendisti manum tuam, non aspexi: despexi omne consilium tuum, & increpationes tuas neglexi: en! nunc irruit super me calamitas: en! nunc advenit mihi, quod timere debebam, &, quod utinam, quando tempus erat, salutariter timuissem. Nunc actum est, transiit tempus, sera est pœnitentia. O tempus! o pœnitentia! ubi estis? quæro vos: sed invenire amplius non possum. Ah! perditio mea ex me: in te auxilium meum. Christus pro me in Cruce mortuus est: & ego propria culpa, ego mea ipsius ignavia sum damnatus.

### PUNCTUM III.

**S**ed quamdiu ergo durabit hæc pœnitentia? quamdiu hunc risum, & subsannationem sustinere cogar? - nunquid in æternum projicit DEUS? aut obliviscetur

tur misereri? - Oh! terribile fulmen! ita,  
in æternum, in æternum sum damna-  
natus. O! horribilis angustia! quomo-  
do me torques? *Christus pro me in Cruce*  
*mortuus est: & ego sine ulla spe, ac remedio*  
*sum æternum damnatus.* O æternitas!  
quomodo me toto tuo pondere simul  
obruis. Ah! ego Christi sanguine, ac  
morte redemptus æternum in hoc car-  
cere ardere debebo? o! quis poterit ha-  
bitare cum ardoribus sempiternis? Ah! Chri-  
ste! si me aliquando amasti, si ex amo-  
re mei in Cruce mortuus es, hanc mi-  
hi unicam gratiam nunc exhibe: sine,  
ut non jam per triginta tres annos, sed  
per triginta tria saecula omnes illas  
ærumnas, omnes cruciatus, dolores, op-  
probria, quæ tu pro me sustinuisti, so-  
lus patiar, & singulis momentis hæc om-  
nia simul collecta patiar, & sine omni  
vel minimo levamine, ac solatio patiar:  
adde omnes cruciatus omnium Marty-  
rum, omnia supplicia reorum, omnia  
tormenta carnificum: adde etiam infer-  
ni poenas, & tormenta omnia, quæ om-  
nes damnati patiuntur, in me unum con-  
gere. Sed, postquam hæc omnia per  
triginta tria saecula passus fuero, me ex  
infer-

inferno libera, &, si quidem obtinendi aliquando cœli spes mihi omnis adempta est, saltem me post hæc tot sæculorum tormenta ad illud nihilum redige, e quo me in creatione extraxisti. Nil petam amplius, ut hoc obtineam, libenter, & cum gaudio ea, quæ enumeravi, omnia, & iis multo etiam plura perferram, si modo tot malorum finem sperare aliquando possim. Sed æternum pati, semper esse, & semper in tormentis esse, semper præ oculis habere frustra pro me impensum redemptionis pretium, semper sera, & inutili turbari pœnitentia, semper tormentorum æternitatem habere præ oculis, & hac terribili angustia torqueri, hoc est, quod ad desperationem adigit, quod infernum malorum omnium abyssum esse facit.

Proh ! me terribilibus angustiis undique coarctatum ! Christus pro me in Crucce mortuus est, & ego sine ulla spe, ac remedio sum æternum damnatus. Igitur ille sanguis, qui pro me profusus est, &, quo a peccatis meis, quamdiu vixi, quavis hora lavari potui, mihi jam amplius in æternum non proderit, & in æternum tamen me torquebit. Igitur illi

fon-

fontes Salvatoris, e quibus per singula  
vitæ meæ momenta salutis aquas in  
gaudio haurire potui, mihi in æternum  
occlusi sunt, & tamen in æternum il-  
los sitiam. Igitur Crux, in qua, dum  
vixi, salutem invenire, si voluissem, sem-  
per potui, in æternum a me fugiet, &  
ego tamen in æternum illam quæram.  
**O æternitas!** o terribilis, & angustiæ  
plena æternitas! quomodo me coarctas?  
ego insanus, ad mortem usque pœnitentia-  
tiam me differre velle dixi, & in æter-  
num distuli: sed non distuli: inveni,  
inveni pœnitentiam, sed pœnitentiam  
inutilem, pœnitentiam æternam. O me  
stultum! qui, cum temporalem paucorum  
annorum pœnitentiam eligere facile po-  
tuerim, æternam elegi. O funestissima  
**cogitatio:** *Christus pro me in Cruce mor-  
tuus est: & ego sum æternum damnatus.* Igi-  
tur inter has angustias æternitatem exi-  
gam? sed non, non exigam: semper in-  
cipiam, nunquam finem, nunquam vel  
remotam finis spem videbo. Peribit  
mundus, extinguentur cœli luminaria,  
& ego ero damnatus, ego in inferno ar-  
debo: elabentur tot annorum millia,  
quot sunt guttæ in Oceano, quot sunt

arenæ in littore maris , & ego ero damnatus , ego in inferno ardebo : abibunt tot annorum millions, quot sunt in aere per totum mundum diffuso minutissimæ atomi , & ego ero damnatus, ego in inferno ardebo. Per hanc totam æternitatem pœnitentiam semper quærar, nunquam inveniam, redemptionis meæ pretium semper ante oculos habebo, nunquam illius particeps efficiar, Christi sanguinem contra me vindictam clamantem semper audiam, & hanc vindictam semper cogar sentire. O æternitas ! o Christi vulnera æterna mihi incendia ! o angustia desperationis plena ! quomodo me in æternum torquebis ? *Christus pro me in Cruce mortuus est : Et ego sine ulla spe, ac remedio sum æternum damnatus.*

Pro fine meditationis sit unica reflexio, quæ mihi die sancto Parasceves, dum Sacrosanctam Domini Crucem a sacerdote exaltari video, & cani audio : ecce ! *lignum Crucis, in quo salus mundi pendit,* aliquando occurrit. Incidit mihi : si nunc hanc Crucem viderent, & hunc cantum audirent damnati Christiani (sicut Deus fortasse facit, ut eorum aliqui pro majori tormento videant, & audi-

audiant) quid cogitarent? aut quid cogitant? Nunc quæro, quidnam in hac Crucis exaltatione, & cantu cogitare possent, aut deberent illi, quibus fortasse tunc præsentibus propria eorum conscientia, si audire illam voluerint, dicet, quod, si eo ipso momento morentur, certo essent damnandi? - Hoc posito venit mihi rursus in mentem Augustini quæstio: quis scit, an non paullulum immutata in unum, alterumve convenire posset? quis scit, an nullus habeat causam intra se dicendi: o sancta Crux! si hodie, vel cras sinceram peccatorum meorum confessionem, quam inter tot reæ conscientiæ stimulos jam tanto tempore, jam per integrum annum, aut fortasse diutius distuli, non peregero, forte postcras inter damnatos ero: *qua fronte te videbo?* Ah! si quis talis esset, hanc sibi quæstionem hodie proponat, & saepius, & bene proponat, & conclusionem inde deducat, cuius illum æternum non poeniteat.

Ah! mi JESU! ne tradas bestiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. O veneranda Domini vulnera! este mi-

audiant) quid cogitarent? aut quid cogitant? Nunc quæro, quidnam in hac Crucis exaltatione, & cantu cogitare possent, aut deberent illi, quibus fortasse tunc præsentibus propria eorum conscientia, si audire illam voluerint, dicet, quod, si eo ipso momento morentur, certo essent damnandi? - Hoc posito venit mihi rursus in mentem Augustini quæstio: quis scit, an non paullulum immutata in unum, alterumve convenire posset? quis scit, an nullus habeat causam intra se dicendi: o sancta Crux! si hodie, vel cras sinceram peccatorum meorum confessionem, quam inter tot reæ conscientiæ stimulos jam tanto tempore, jam per integrum annum, aut fortasse diutius distuli, non peregero, forte postcras inter damnatos ero: *qua fronte te videbo?* Ah! si quis talis esset, hanc sibi quæstionem hodie proponat, & saepius, & bene proponat, & conclusionem inde deducat, cuius illum æternum non pœniteat.

Ah! mi JESU! ne tradas bestiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. O veneranda Domini vulnera! este mi-

hi cœli claves, & salutis ostia: ah! non  
este mihi æterna incendia. Domine!  
misericordia! nunc est tempus accepta-  
bile, nunc sunt dies salutis. Misericor-  
dia! per sanctissima tua vulnera, per  
sanguinem ex iis effusum, per passio-  
nem, Crucem, & mortem tuam te ob-  
testor, a poenitentiis inferni, ab æternis in-  
cendiis, a morte perpetua, ab affligen-  
te memoria, turbante sera poenitentia,  
torquente angustia libera nos Domine!  
non enim mortui laudabunt te, neque  
omnes, qui descendunt in infernum.  
Mater misericordiae! memento Congre-  
gationis tuæ: monstra te esse Matrem:  
tu nos ab hoste protege, & mortis hora  
fuscipe, ne pretioso Filii tui sangu-  
ne redempti æternum pereamus.

Amen.



## MEDITATIO VI.

PROPONITUR CHRISTUS  
CRUCIFIXUS POENITENTIBUS, ET  
POST POENITENTIAM BENE  
VIVENTIBUS.

## INGRESSUS.

**A**Udivimus haec tenus Christum Crucifixum peccatoribus, atque iis præsertim, qui poenitentiam nondum egerunt, sed in seram ætatem, & ad mortem usque differunt, loquentem. Sed spero per DEI gratiam tales non multos fuisse, &, si qui erant, ad non differendam amplius poenitentiam permotis esse, ac eam ex parte jam egisse. In hac igitur postrema meditatione Christum Crucifixum poenitentibus, & post ætam poenitentiam bene vivere statuentibus proponam. Et vero jam Christus ipse de Cruce tales ad se invitat dicens: *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris.* His igitur Christum Crucifixum in tribus Meditationis hujus punctis propono: in primo puncto,

tanquam solatium in vita: in secundo  
puncto, tanquam securitatem in morte:  
in tertio puncto, tanquam gaudium in  
æternitate.

## PUNCTUM I.

**A**ccede igitur, quisquis es, qui veram  
de peccatis egisti poenitentiam, &  
bonam posthac vitam agere constituisti.  
Accede, inquam, ad Crucem Domini,  
& Redemptorem ex ea tuum ad te cla-  
mantem audi: *venite ad me, qui laboratis,*  
*& onerati estis, & ego reficiam vos.* Labo-  
rasti quidem haec tenus, & peccatorum  
pondere oppressus misere anhelasti. Sed  
ne metue: *leva caput tuum: en! appro-*  
*pinquat, en! adest jam redemptio tua. Hic,*  
*quem vides, JESUS peccata tua pertulit in*  
*corpore suo super lignum.* Dixisti cum Da-  
vide: *peccavi Domino: & infinite mis-*  
*ericors Dominus peccatum tuum transstulit*  
*a te: en! jam lota est stola tua, jam de-*  
*albata est in sanguine Agni.* Quid est,  
quod dubites? quid est, quod ultra me-  
tuas? Vide pretii, quod DEI Filius pro  
te persolvit, abundantiam, vide amoris,  
quo illud pro te obtulit, & tuum esse  
voluit, magnitudinem, & spem, ac fidu-  
ciam

ciam concipe, te, quem in Cruce quæsivit, ultro ad se venientem ab eo rejectum non iri. Igitur timere, teque ipsum excruciare desine: si veram egisti pœnitentiam, si peccata tua sincere confessus es, si contrito corde ab offenso Deo petiisti veniam, si firmum concepisti non amplius peccandi propositum, salva res est: si fuerint peccata tua, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana, alba erunt. Hoc ille tibi per Ezechielem spondet, hoc implebit etiam, quia fallere non potest, venite, de Cruce sua repetit, venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. -- An hæc DEI tui te peccatorem ad se revertentem tanto cum amore, tanta cum fiducia de obtenta peccatorum venia suscipiens misericordia nihil solatii tibi adsert? -- Quid igitur tardas ad Crucem configere? quid times in expansa Redemptoris tui brachia te projicere? en! hic peccatores recipit, -- hic peccatores recipit. Vide ad ejus pedes mulierem, quæ erat in civitate peccatrix, peccatorum donatam veniam: audi

dicentem adulteræ: mulier! nemo te condemnavit, nec ego te condemno: audi latroni in Cruce poenitenti paradisum promittentem: *bis peccatores recipit.* - Times venturum cum virtute multa, & maiestate Judicem? ad Redemptoris Crucem confuge: *bis peccatores recipit.*

Hoc si tibi vere poenitenti certam de remissione spem, ac fiduciam, & ex hac ipsa tam læta spe incredibile solatium adferre debet, considera, quantum pro futura vita solatii in hac eadem Domini tui Cruce repositum tibi sit. Audi eum ad te dicentem: *tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris.* Non te jugi nomen terreat: suave est, animabus requiem præstat. Gustantum, & vide, & tua ipsius experientia edocetus senties, quam suavis sit Dominus diligentibus se. Si Magno Leone teste Crux Domini omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum: si per hanc credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte: quidnam est, aut esse potest, quod ad veri, ac solidi in hac vita solatii plenitudinem desideres? Ad hanc Crucem Sanctus Thomas Aquinas sapientiam, Sanctus Bernardus in-

credi-

credibilem dulcedinem, Sanctus Xaverius inter tot Apostolicos labores invitum animi robur, inter tot adversa constantem, ac perturbari nesciam animi quietem invenit. Hæc una Crux omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum. Hic peccatores veniam, ægri sanitatem, afflerti solatium, oppressi levamen inveniunt. Hoc perpendens Paulus Apostolus non existimavit se scire aliquid, nisi JESUM Christum, & hunc Crucifixum: in hac sola Domini Cruce gloriari voluit dicens: *mibi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Hanc solatiorum ubertatem expertus Sanctus Martyr Ignatius continere se non potuit, quin exclamaret identidem: *amor meus crucifixus est.*

Ut illius solatii, quod ad Christi Crucem pœnitentibus, & post aetam pœnitentiam bene viventibus offertur, veritatem, ac magnitudinem melius perspicias, cogita, quidnam igitur occurrere possit, quod animi quietem in hac vita eripere, & desolationem, ac tristitiam adferre tibi posset. Si omnia solite percurreris, invenies, mala omnia,

quæ in mundo evenire possunt, ac solent, partim ab interno, partim ab externo provenire. Ab interno proveniunt angores animi, desolations, mœrores, non raro etiam tentationes. Externa, quæ homini eveniunt, sunt subtractio rerum temporalium, contemptus, persecutio[n]es, calumniæ, postponitiones, morbi, amicorum, charorum, propinquorum per mortem amissio, & alia hujusmodi. Nunc ista omnia in unum cumulum collige, & mecum ad Crucem Domini te confer: vide, quantum illic, & quam verum, ac solidum, quod his omnibus opponas, solatium te expe[ct]et. Et imprimis quidem interni angores, desolations, mœrores, si vere interni sunt, & nullam externam causam habent, aliunde provenire non solent, quam ex timore, & pusillanimitate aliqua in negotio salutis, ex interna aliqua anxietate de obtenta peccatorum venia, & remissione. Si quis talis es, te obtestor, potuitne Deus certius tibi aliquod pignus dare, quo te securum reddat de implendo promisso, quod tibi de peccatorum tuorum venia toties fecit, quam unigenitum Filium tuum tua

tua in Cruce debita suo sanguine exol-  
ventem? hoc pretium utique non suf-  
fecit solum, sed abundavit etiam: quid  
times igitur? quid dubitas? quid ange-  
ris? si tu, ut spero, quod in te est, fe-  
cisti, & sincere fecisti: en! tibi in Cru-  
cifixo JESU ab æterno Patre in manus  
traditum chirographum, quo sibi pro-  
tuis debitis, quantacunque illa sint, sa-  
tisfactum esse testatur, quod in judicio  
exhibere secure poteris: quid petis am-  
plius? - Sed inter tot tentationes pro-  
priæ infirmitatis conscius, ne in pecca-  
ta relabaris, times? Iterum ad Christi  
Crucem te voco: ut a peccato sanemur,  
**C**hristum Crucifixum intueamur, Augusti-  
nus ait: quanto magis dicere & potuit,  
& voluit: ut a peccato præservemur, Chri-  
stum Crucifixum intueamur. Si hic semper  
ante mentis tuæ oculos positus, si cor-  
di tuo jugiter insculptus fuerit, non re-  
laberis: promitto. Quidquid tibi mun-  
dus, caro, dæmon, homo, aut huma-  
nus respectus temptationum objecerit,  
cum Augustino dices: quid mibi amplius  
facturus est iste, quam passus est pro me **DEUS**  
meus? teneam justitiam, non, non consentiam  
ad iniquitatem. Dices cum Bernardo:

**DEUS**

*DEUS meus pendet in patibulo: & ego voluptati operam dabo? Infirmitatem tuam times? en! hic datur virtus de infirmitate: hujus tibi gratia sufficit: hic neminem deserit, nisi ab eo prius ipse defatur. An hoc tibi contra internos angores solatium inane, aut infirmum videtur?*

Nunc igitur ad externa veniamus. Subtrahuntur tibi bona temporalia, eripiuntur per mortem propinqui, conflietaris morbis, & ærumnis, persecutio-nes, contemptum, calumnias pateris. Attolle oculos: en! in Crucifixo JESU hæc simul omnia collecta invenis: si tu hæc eadem toleras: ergo Crucem post Christum bajulas, ergo ille te agnoscat, tanquam sibi similem, ergo cum illo regnabis. Quid de amissis cisternis dissipatis doles, cui aquæ de fonte vivo in gaudio hauriendæ propinantur? Audi Bernardum: universæ bujus mundi volup-tates tantum non habent dulcedinis, quantum Domini JESU fel, & acetum. Vide Apo-stolos, ut eant gaudentes a conspectu concili, quoniam digni habitis sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Audi Paulum: su-perabundo gaudio in omni tribulatione. Per-sequ-

sequuntur te homines, contemnunt, calumniantur, Crucem aspice, & dic cum Hieronymo: & *Judæi Dominum meum.* O! quantum in hoc aspectu, & in his verbis solatii deprehendes. Verum est, respondes: sed sum homo, sentio: hæc dolent. Neque ego istud nego: sed, amabo, anne Christus dolorum suorum sensum nullum habuit? an propterea amisit patientiæ meritum? aut pro te graviora multo pati recusavit? Cogita, dum externa hæc mala pateris, te ista vel esse meritum, vel innocenter pati. Si meritus es, aspice Christum, & dic cum pio Latrone: *nos quidem digna facili recipimus: hic autem nihil mali gessit.* Hoc Latroni fuit salutis initium, hoc tibi, ne dubita, solatum erit. Si autem innocens pateris, multo adhuc majus in aspectu Christi habebis solatum dicentis tibi: *si me persecuti sunt, & vos persequentur: quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea mundus vos odit.* An non audis Paulum: *omnes, qui pie volunt vivere in Christo JESU, persecutionem patientur?* Quamdiu ergo durabunt hæc mala? pauculis annis, & fortasse nec istis. Quodnam, obtestor,  
Chri-

Christiano homini majus, aut verius esse potest solatum: pati cum Christo, vel regnare cum mundo? sed difficile est, ait, & homines, qui hæc mihi mala irrogant, faciunt ex odio, rancore, injuste me conantur opprimere, peccant. Respondeo cum Euthymio: *Christus Crucifixus solutio omnium difficultatum.* Etiam Judæi Christum ex odio, invidia, rancore persecuti sunt, & gravissime peccarunt: sed audi Christum dicentem Petrum: *calicem, quem dedit mibi Pater, non vis, ut bibam illum?* audi eum tibi dicentem: *mibi vindictam, & ego retribuam: si te injuste persequuntur, & poenitentiam non egerint, aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent:* tu securus ad Crucem gaudebis. Quid igitur est, quod ad Crucem Christi verum tibi solatum adferre non deberet? Quidquid ad eam vides, seu JESUM ipsum pro te inclinato capite tradentem spiritum, seu stantem sub Cruce Matrem aspicias, solatio esse debet. Huic ille Matri te in Filium moriens tradidit: hæc te suscepit, & secum sub Cruce stantem neque malis opprimenti, neque perire te sinet.

## PUNCTUM II.

**C**onsidera nunc securitatem illam, quam Crucifixus JESUS in morte tibi spondet. Hanc ut melius agnoscas, confer te mecum ad moribundi lectulum, qui post aetam ad Christi Crucem poenitentiam ab hac Cruce amplius per peccatum grave non recessit. Dum ad eum ingredior, dum accedo lectum, ut Crucifixi signum illi porrigam, jam illud in manibus habentem, jam ei figentem oscula, jam inter dulces lacrymas apprimentem pectori deprehendo. Ubi me conspicit: euge! Pater! laetus ait, post breve tempus dissolvar, & ero cum Christo: jam vitae meae finis imminet: pauca momenta supersunt, & moriar. Et tam laetus es? ajo: quidni laetus sim? respondet, qui salutis aeternae pignus in manibus habeo? vide amabiles Redemptoris mei oculos: vide, ut amorem in eo spirent omnia, cor apertum, manus expansae, inclinatum caput. Ah Pater! quam mitis, & festivus mihi ipsius Domini aspectus apparebit, cuius signum tam amoris plenum est, & tantum gaudi

dii mihi adfert. Felicem te! repono, qui sic mori potes: nihilne igitur est, quod in hoc tam tremendo aliis articulo timeas? Quid timeam? ait: si constant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Ah! in te Domine! speravi, Crucifixum intuens, pergit, non, non confundar in æternum. Et quid timerem? Pater! peccata mea pridem expiavi per sinceram pœnitentiam: o! quoties de illis ad hanc Crucem dolui, quoties veniam inter lacrymas petii: hanc mihi tam misericors DEUS certe non negavit: scio: promisit, fidelis est, non est, quod dubitem: Christi sanguine a peccatis ablutus sum, de quibus nunc iterum o mi JESU! ex amore tui doleo, te super omnia amo, & æternum amare desidero. Quidnam aliud est, quod timeam? morbi dolores, ac molestias, quando hunc Crucifixum in manibus habeo, ne sentio quidem: si tentationes ingruant, hoc me scuto tego, hunc hostibus oppono clypeum: ecce! signum Domini: ajo, fugite partes adversæ: huic dico: susceptor meus es tu, & refugium meum, DEUS meus, sperabo in eum. In hoc libro lego, & sic mihi

mihi levo longi temporis tedium, semperque novi solatii aliquid pro me invenio: cum hoc loquor, & ita solitudo mihi molesta non est. En! quantum in Christi Cruce solatii, quantum securitatis inveniam. Video etiam adstantem Crucis misericordiae Matrem, peccatorum pœnitentium refugium, quam filii, ac veri clientis pietate semper veneratus sum: hæc se nunc mihi monstrabit Matrem, & me non deseret: in hac post DEUM omnem meam spem, ac fiduciam repono. Sed jam vitæ meæ finem instare sentio: jam Christus me vocat: jam MARIA suum expandit pallium, ut animam meam suscipiat. Itaque te oro, Pater! ut apud me tantisper maneas: ubi me vox defecerit, ubi lassata manus negabit obsequium, tu hoc Crucifixi signum, hoc securitatis, ac æternæ salutis meæ pignus ante me, ut videre possim, sustine, illud pectori, ac ori meo admove, mihi fidei, spei, charitatis, ac doloris aëtus, & alios pios affectus suggere, me a peccatis iterum absolve, tum sanctissima JESU, & MARIE nomina mihi sæpius ingemina: ita lætus, & optimæ spei plenus expectabo Judi-

cem, quem mihi propitium fore scio. Ita o mi JESU! ait plenus gaudio, quam læta, & secura fronte hodie Judicem te video. *In manus tuas commendabo spiritum meum: redemisti me Domine DÉUS veritatis.* Ita comparatus paulo post agonem incipit: ego, quos petiit, aëtus, & affectus suggero, eum a peccatis absolvō, & ille intentis in Crucifixum oculis, dum sanctissima nomina repeto, ridenti ore placidissime expirat. *Requiem æternam dona ei Domine!* Et lux perpetua luceat ei. Sed quid opus est hoc ei optare? jam illi dixit Spiritus, ut requiescat a labbris suis. Ecce! quomodo moritur justus. Talis te quoque mors expectat, ne dubita, si post aëtam sinceram pœnitentiam a Redemptoris tui Cruce posthac amplius non recedes.

### PUNCTUM III.

**C**onsidera denique ineffabile illud gaudium, quod Crucifixus JESUS vere pœnitentibus, & post aëtam pœnitentiam bene viventibus in æternitate est allatus. Nec oculus vidit, Pauli verba sunt, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,

dit, quæ præparavit *DEUS* diligentibus se.  
*Audi Christum dicentem Apostolis: vos  
estis, qui permanistis mecum, & ego dispono  
vobis, sicut disposuit mibi Peter, ut edatis,  
& bibatis super mensam meam in regno meo.*  
*Cogita, &, si potes, imaginare tibi illam  
ubertatem domus *DEI*, qua inebriabun-  
tur electi, & illum torrentem volupta-  
tis, quo illos Christus potabit. Imagin-  
nare tibi, si potes, gaudium illud, quo  
ex aspeetu Divinæ pulchritudinis, & ex  
amore, ac possessione summi, & infini-  
ti boni beatorum animæ afficiuntur. Imagi-  
nare tibi, si potes, quantum illis læti-  
tiæ allaturus sit amor, quo se a *DEO* ama-  
ri conspicient, quantum voluptatis ex  
corporum suorum gloria, & pulchritudi-  
ne, ex Divinæ Matris, Angelorum, &  
Sanctorum omnium perpetua societate  
sint habituri. Repræsenta tibi tales ali-  
quam beatam animam ad Christi Crucem  
consistentem, & secum ipsa cogitantem:  
*Christus in hac Cruce pro me est mortuus, &  
ego sum in cœlo: ego per aetam in tempore op-  
portuno pœnitentiam, & institutam dein bonam,  
ac Christo conformem vitam sum in cœlo: &  
ego absque ulla posthac formidine amittendi  
summi boni sum æternum in cœlo. O! quan-**

tum recreabit hæc memoria, quantum solabitur tempestive aëta pœnitentia, quantum gaudii certitudo, & securitas est allatura. *Christus in hac Cruce pro me est mortuus, & ego sum in cælo:* jam sanguinis pro me profusi fructum sentio: jam redemptionis meæ finem possum: jam ad hanc Crucem in cordis jubilo secura consisto: o! quantum tibi Divine Redemptor! debeo: redemisti me Domine DEUS! in sanguine tuo, & fecisti me tibi regnum, & regno, & regnabo tecum. O Crux venerabilis! quanto cum gaudio te amplector, quanta cordis lætitia te aspicio. O veneranda Domini vulnera! vos mihi estis æterna gaudia. *Christus pro me in Cruce mortuus est, & ego per actam in tempore opportuno pœnitentiam, & institutam dein bonam, ac Christo conformem vitam sum in cælo.* O igitur felix pœnitentia! quæ me tanti boni fecit participem: o! quam sapienter egi, quod ejus agendæ tempus arripuerim, quod nullis difficultatibus, nullis humanis respectibus, nullo tempore, amore proprio, commodatum studio, nulla inani longioris vitae spe, ac fiducia me ab agenda mature pœnitentia absterreri sim passa. Duxi quidem vitam

vitam sæpe contemptam, persecutionibus, ærumnis, calamitatibus exagitatam, temporalibus bonis, ac voluptatibus sæpe carui, tribulationes multas experta sum, mundus me odio habuit, calumnias, oppressiones, injustas postpositiones, cruces, morbos, opprobria ferre debui: sed hæc omnia brevissimo durarunt tempore: momentaneum, & leve tribulationis hujus æternum gloriæ pondus operatum est in me. *Christus pro me in Cruce mortuus est, & ego sine ulla formidine amittendi summi boni ero æternum in cælo.* Paucorum annorum pœnitentia mihi felicem æternitatem emi: o felix! o ineffabili gaudio, ac solatio plena æternitas! quidquid dolorem, quidquid tristitiam, quidquid molestiam, aut cruciatum adferre potest, finem habet, & in æternum me non torquebit amplius, horum omnium nihil prorsus ne in cogitationem quidem veniet, in horum locum succedunt æternum duraturà gaudia, quidquid video, quidquid in æternum videbo, audiam, sentiam, incredibili me voluptate, ac lætitia replebit: semper habeo, quod volo, nunquam amplius, quod nolo, nunquam, quod vel per um-

set inter vos jubilus: quomodo status,  
conditionis, ætatis vestræ obliti curre-  
retis per plateas, clamaretis, ut omnes  
vos audiant: ego ero salvus, ego ve-  
niam ad cœlum: nunc hoc momento mi-  
sit DEUS Angelum, qui hoc mihi ipsius  
DEI nomine nunciare debuit: Patres fi-  
liis, mariti uxoribus, filii Patribus, amici  
amicis narrarent, dicerent: ego ibo ad  
cœlum, ego ibo ad cœlum: DEUS hoc mi-  
hi revelavit per Angelum: ego ibo ad  
cœlum. Si se offerret peccandi occa-  
sio, si tentatio ingrueret, si terrena vo-  
luptas, si corporis commodum, si re-  
spectus humanus vos ad peccandum al-  
licere vellet, diceretis cum stomacho:  
apage a me cum istis: ego veniam ad  
cœlum: nolo has cisternas dissipatas, no-  
lo has quisquilias, homines non timeo:  
ego ibo ad cœlum: jam de hoc sum cer-  
tus. Si Crux, si tribulatio, si contem-  
ptus, morbus, persecutio ingrueret, ne  
sentiretis quidem, clamaretis pleni gau-  
dio: quid mihi nocebunt ista? quid me  
propter hæc affligam? ego ero salvus:  
ego ibo ad cœlum. Nunc igitur audi-  
te me. Quod vobis nunciaret talis An-  
gelus, idem ego vobis nunc ipsius Chri-  
sti

set inter vos jubilus : quomodo status,  
conditionis, ætatis vestræ obliti curre-  
retis per plateas, clamaretis, ut omnes  
vos audiant : ego ero salvus, ego ve-  
niam ad cœlum : nunc hoc momentum i-  
fit Deus Angelum, qui hoc mihi ipsius  
Dei nomine nunciare debuit : Patres fi-  
liis, mariti uxoribus, filii Patribus, amici  
amicis narrarent, dicerent : ego ibo ad  
cœlum, ego ibo ad cœlum : Deus hoc mi-  
hi revelavit per Angelum : ego ibo ad  
cœlum. Si se offerret peccandi occa-  
sio, si tentatio ingrueret, si terrena vo-  
luptas, si corporis commodum, si re-  
spectus humanus vos ad peccandum al-  
licere vellet, diceretis cum stomacho :  
apage a me cum istis : ego veniam ad  
cœlum : nolo has cisternas dissipatas, no-  
lo has quisquilias, homines non timeo :  
ego ibo ad cœlum : jam de hoc sum cer-  
tus. Si Crux, si tribulatio, si contem-  
ptus, morbus, persecutio ingrueret, ne  
sentiretis quidem, clamaretis pleni gau-  
dio : quid mihi nocebunt ista ? quid me  
propter hæc affligam ? ego ero salvus :  
ego ibo ad cœlum. Nunc igitur audi-  
te me. Quod vobis nunciaret talis An-  
gelus, idem ego vobis nunc ipsius Chri-  
sti

st nomine nuncio: &, si mihi non creditis, ipse vobis Christus hoc de Crucē dicit, & certissime confirmat: legite totum Evangelium, & certitudinis hujus non tot, quin plures confirmatio-nes invenietis. Omnes vos, qui ade-stis, cujuscunque status, conditionis, ætatis sitis, eritis salvi: omnes, omnes, inquam, nullo excepto venietis ad cœ-lum, si modo salvi esse, si modo ad cœ-lum venire velitis. Ita, respondetis, si velimus. Ita, inquam, si velitis; invi-tos enim DEUS non coget. Sed in hac ipsa conditione implenda, dicitis, non mediocris est difficultas. Ego autem dico in hac conditione implenda nullam prorsus, & ne minimam quidem diffi-cultatem inesse. Quæritis, quomodo? Attende. Dicite mihi: quando in hoc mundo vultis obtainere aliquod officium, aliquam promotionem, aliquod aliud bonum temporale, quomodo illud vul-tis? quid facitis? removetis ea, quæ vobis ad hunc finem impedimento esse possent, & adhibetis opportuna ad illum obtainendum media, neque rem differ-tis, sed statim admovetis manum operi, ne alter vos præveniat: si quis etiam im-

impendendus labor, si quæ difficultas superanda sit, ista non horretis, per hæc absterreri vos non sinitis, sed libenter, & cum gaudio sustinetis omnia: & tamen sæpe æmularum invidia, aut malevolorum artibus oppressi, quod tanto labore quæritis, non obtinetis. Facite hoc idem, & eodem modo facite pro cœlo, pro salute æterna: plus DEUS a vobis non exigit, &, ut hoc facere possitis, suam gratiam, & auxilium vobis offert. Impedimenta, & media scitis: illa removere, his uti tam difficile non est: potuerunt alii : ergo & vos potestis. Hoc si feceritis, nulla æmularum invidia, nullæ malevolorum artes ab obtainenda æterna salute impedire vos poterunt: sed omnes, quotquot hic adeatis nullo excepto, eritis certissime salvi, & venietis ad cœlum. Hoc vobis solatium in triduanæ pietatis prœmium Christus de Cruce dat, & suo sanguine confirmat.

Ah! misericordissime JESU! quomodo nos reficis, quam superabundans nobis solatium de tua Cruce impertis. Te DEUM laudamus, te Dominum confitemur. Tu in hac Cruce devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna

cœlorum. Nos intrabimus, nos omnes  
salvi erimus, nos ad cœlum ibimus, si  
modo velimus. Ah! volumus, Domine!  
volumus, &, ut efficaciter velimus,  
a sancta Cruce tua non amplius rece-  
demus; ad quem enim alium ibimus?  
tu verba vitæ æternæ habes, tu es fons  
vitæ, & in lumine tuo videbimus lu-  
men. Te ergo quæsumus: tuis famu-  
lis subveni, quos pretioso sanguine re-  
demisti: æterna fac cum sanctis tuis in  
gloria numerari: salvum fac populum  
tuum Domine! ut ad sanctam Crucem  
tuam misericordias tuas in æter-  
num cantemus. Amen.

*O. A. M. D. G.*



veritatis abstracti inter errorum tenebras in exitium agamur præcipites , propositum est mihi sacrum hoc triduum corrigendo sinistro de rebus hujus mundi judicio impendere : neque dubito , quin vel ex hoc uno quisque facile intelligat , quanti momenti negotium , quamque attentione , ac conatu omni nostro dignum aggrediamur .

At enim , ne irritus , & sine fructu sit labor , ante omnia inquirendum nobis est rectum aliquod judicium , cui tuto fidere , & ad cujus normam omnes perversi judicii errores corrigerem possumus . Tale nobis judicium Spiritus Sanctus per os Ecclesiastici suggerit , dum ait : *o Mors ! bonum est judicium tuum.* Igitur præsens triduum memoriæ mortis consecrabimus juxta Sapientis monitum : *si annis multis vixerit homo , & in his omnibus lætatus fuerit , meminisse debet tenebroſi temporis , & dierum multorum , qui cum venerint , vanita-*

*nitatis arguentur præterita.* Si vobis  
DD. Sodales MARIANI ! nimium tri-  
stis, & plena luctus videtur hæc ma-  
teria , cogitate aliud Sapientis moni-  
tum : *melius est ire ad domum luctus, quam*  
*ad domum convivii ; in illa enim finis cun-*  
*&torum admonetur hominum, & vivens co-*  
*gitat, quid futurum sit.* Ego certe, si  
memoria mortis a me proposita salu-  
tariter vos contrastaverit, gaudabo cum  
Paulo , non, quia contrastati estis : sed,  
quia contrastati estis ad pœnitentiam ; ita  
enim verum bonum , ac salutem ve-  
stram cordi mihi esse profiteor, ut ma-  
lim vos triduo utiliter, quam æternum  
inutiliter , tristes videre.

Benignissime JESU ! cuius Sanctissima Anima tristis facta est usque ad mortem , & in mortem ipsam pro salute nostra tradi voluit , in hoc tam gravi , quod præ manibus habemus , negotio tua nobis opus est gratia ; neque enim , nisi in lumine tuo , vide-

bimus lumen, quo illustrati errores judicii nostri, quibus, proh dolor ! toutes decepti fuimus , per salutarem mortis considerationem corrigamus. Tu o Domine ! hoc nobis lumen præsenti triduo accende, &, qui in Evangelio tuo memoriam mortis nobis toutes inculcas , atque nullo non momento ad mortem paratos esse nos jubes , da nunc gratiam , ut bonum mortis judicium attentis animis audiamus, æternas, quæ ex eo sequuntur, veritates agnoscamus , & secundum illas vitam deinceps nostram instituamus. Hoc a te per illam tuam in monte Oliveti tristitiam , hoc per illam , quam pro nobis in Cruce gustare voluisti , mortis amaritudinem supplices petimus : da, ut gustata nunc mortis amaritudine , & salutari trium dierum tristitia æternam nobis vitam, ac gaudia promereri discamus.



## MEDITATIO I.

MORS EST DERELICTIO  
OMNIUM BONORUM  
TEMPORALIUM.



Primum, quod in consideratione mortis occurrit, & ad corrigendum sinistrum de rebus terrenis judicium plurimum valet, est separatio ab omnibus hujus vitæ bonis, quæ fit per mortem. *Mors est derelictio omnium bonorum temporalium.* Hæc veritas erit argumentum præsentis meditationis, cuius tria puncta totidem sequelas ex illa deducetas complectentur. Prima sequela est: si mors est

derelictio omnium bonorum temporaliū : ergo bona temporalia non sunt nostra, sed nobis tantum commodata. Secunda sequela : ergo bona temporalia sunt transitoria, & nobis tantum ad breve tempus commodata. Tertia sequela : ergo bona temporalia nihil nobis prosunt, sed plurimum obsunt, nisi illis utamur ad finem, ad quem nobis sunt commodata.

## PUNCTUM I.

**C**onsidera, certissimum esse, quod nos omnes aliquando moriemur. Hanc veritatem nemo sanæ mentis compos in dubium revocat : hanc fides, hanc experientia, hanc ipsa ratio docet. Statutum est hominibus semel mori, ait Paulus Apostolus : &, ne quis hanc moriendi legem non ad omnes pertinere credat, diserte affirmat David Psal. 88. quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem? Igitur fide certum est, nos omnes aliquando morituros; nam, ut idem Paulus testatur, stipendia peccati mors : & ideo, sicut omnes in Adam peccarunt, ita in Adam omnes moriuntur. Id ipsum ostendit

dit tot jam sæculorum, & hominum, qui ante nos vixerunt, & mortui sunt, tot hominum omnis ætatis, conditio-  
nis, ac status, qui quotidie moriun-  
tur, experientia: id ipsum ratio, quæ  
corpus senio, corruptioni, ac mor-  
bis obnoxium semper durare non pos-  
se prorsus evincit. *Omnia, quæ de ter-  
ra sunt, ait Ecclesiasticus, in terram  
revertentur.*

In hac tanta mortis certitudine considera ulterius, & inquire, quid nam igitur sit mori. - Quid est mors? - Mors est separatio animæ a corpore, est finis omnium rerum hujus mundi, est divulsio a mundo, & derelictio omnium bonorum temporalium. Homo, sicut nudus egressus est de utero matris suæ, Ecclesiastæ verba sunt, sic revertetur, & nihil auferet secum. Idem testatur Paulus ad Timotheum scribens: *nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possimus.* Hinc vero quid sequitur? - Audiamus Ambrosum ita concludentem: *non no-  
stra sunt, quæ non possimus auferre nobis-  
cum.* - Magne Deus! quale mihi lu-  
men hæc verba ad dissipandas, in qui-

bus adhuc versabar, errorum tenebras accendunt. *Non nostra sunt, quæ non possumus auferre nobiscum.* - Illa igitur bona temporalia, quæ tanto cum labore quæro, quæ tanta solicitudine conservare, augereque studeo : illi honorum tituli, & dignitatum insignia, quibus tam avide inhio, & in quibus mihi tantopere complaceo : illi plausus, ac favores hominum, illa talenta, & corporis, animique dona, de quibus unice glorijs, & me supra omnes alios eminere, ac illis meliorem esse puto, mea non sunt ? illæ igitur voluptates, oblectationes, & corporis commoda, quibus me totum quantum immergo, non sunt mea ? quid enim horum omnium auferre moriens mecum potero ? - nihil. - Homo revertetur, & nihil auferet secum. Cum interierit, ait Psaltes Regius, non sumet omnia : relinquet alienis divitias suas : neque descendet cum eo gloria ejus. An non igitur legitima, & prorsus certa est hæc sequela. *Mors est derelictio omnium bonorum temporalium :* igitur bona temporalia nostra non sunt, sed nobis tantum commodata ?

Hanc

Hanc ipsam veritatem inculcare nobis Christus voluit in parabola Divitis, quam Lucæ 12. proponit. Hic, cum uberes fructus in agro suo natos vidisset, de iisdem conservandis mire sollicitus ita secum statuit : *destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mibi, & bona mea : & dicam animæ meæ : anima ! babes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comedere, bibe, epulare.* Talia secum cogitanti vox de cœlo repente allabitur : *dixit illi Deus : stulte ! hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt ?* quasi diceret : quid insane homo ! de ædificandis horreis, & congregandis in annos plurimos bonis cogitas, quæ misere deceptus tua esse ais ? frustra conturbaris : thesaurizas, & ignoras, cui congregabis ea. Scito, quod mors appropinquet, &, velis, nolis, relinquas omnia aliis : hac ipsa nocte morieris : & bona illa tua in annos plurimos posita cujus erunt ? tu eorum nihil tecum auferes. Non tua sunt, quæ non potes auferre tecum.

Ah !



Ah ! quisquis es , qui te nunc  
terrenis curis , & comparandis , ac au-  
gendis temporalibus bonis totum quan-  
tum immergis , qui primas curas , &  
studia tua omnia captandis lucris , con-  
gregandis pecuniis , obtainendis titulis ,  
honoribus , plausibus , conse~~c~~tandis  
**commodis** , & voluptatibus terrenis  
**confecras** , qui in his quietem , ac feli-  
citatem omnem tuam constituis , hoc  
ad te pertinere , hoc tibi dictum esse  
existima. Audi judicium mortis. - **Tu**  
ais : *bona mea* , posita in annos plurimos.  
**Mors** respondet : *cujus erunt ? Animam*  
*tuam repetam a te* : *ꝝ, quæ parasti, cuius*  
*erunt ?* - **Tu** thesaurizas. Audi mortem :  
*vane conturbaris* , ait : *ignoras, cui congre-*  
*gabis ea.* *Si non vane conturbaris, Augu-*  
*stini verba sunt, dic: cui thesaurizas ?*  
*Mibi, inquis.* *Hoc audes dicere moritu-*  
*rus ?* - **Tu** de honorum titulis , de di-  
gnitatum prærogativis , hominum lau-  
dibus , scientia , & aliis naturæ donis  
tibi plaudis , in his mirum quantum  
gloriaris , & alios præ te despicias , hæc  
tam insignia decora tuo labore parta ,  
& hinc omni jure tua esse dicis. Mor-  
tem si consulas , quid respondebit ti-  
bi ?

bi? an non illud Ecclesiastici: *quid superbit terra, & cinis?* aut illud Jobi: *usque hoc (ad me) venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos?* Fors & cum Basilio dicet: *circumspice illos, qui ante te similibus splendoribus efflorebant: ubi sunt?* periit memoria eorum cum sonitu, ut Psalmista testatur. Quid ad hæc ais? etiamne tua hæc bona pergis dicere? nondum agnoscis, quam vere Ambrosius dixerit: *non nostra sunt, quæ non possumus auferre nobiscum?* - O Mors! o Mors! bonum est judicium tuum: tu mihi hodie veritatem aperis, quam negare non possum, & de qua, proh dolor! nunquam cogitavi.

## PUNCTUM II.

**C**onsidera nunc alteram, quæ ex alata fundamentali veritate fluit, & non minus certa est, sequelam. *Mors est derelictio omnium bonorum temporalium: ergo bona temporalia sunt transitoria, & nobis tantum ad breve tempus commodata.* Ut sequelæ hujus certitudinem tanto clarius perspicias, ita tecum ratiocinare.

Si



Si mors est derelictio omnium bonorum temporalium, usus horum bonorum nobis a DEO concessus diuturnior non est, nec esse potest, quam sit vita nostra : quando huic finem mors imponit, finita sunt omnia. Itaque, si vita nostra brevis est, bona quoque temporalia non nisi transitoria, & ad breve nobis tempus commodata esse possunt. Hanc veritatem qui in dubium revocare nititur, rationis expers sit, oportet. - Nunc igitur de vitæ nostræ longitudine, aut brevitate quid sentis ? *Quæ est vita vestra ?* quærit in sua epistola Catholica Jacobus Apostolus, & respondet : *vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* - *Breves dies hominis sunt,* ait Job. - *Omnis longitudo vitæ præsentis punctum esse cognoscitur,* Gregorii verba sunt, *cum fine terminatur.* Omitto innumera alia Sacrarum Literarum, Sanctorumque Patrum testimonia, quibus humanæ vitæ brevitas abunde comprobatur. Ad experientiam ipsam provoco, tanquam veritatis hujus testem omni exceptione majorem. O ! quot hæc nobis homines ostendit prius per mortem raptos,

ptos, quam rationis plenum usum attigerint : quot adolescentum funera exhibet : quot viros monstrat prius mortuos, quam ad senectutis limen venerint : quam pauci numerantur , qui septuagesimum , aut octogesimum ætatis annum superant : centum annos si quis vivendo excederit, instar prodigi ab omnibus habetur. Et centum vitæ anni quid sunt , si cum æternitate comparentur ? *Quasi gutta aquæ maris deputati sunt , ait Ecclesiasticus , & sicut calculus arenæ , sic exigui anni in die ævi.* - *Omnis , cum Gregorio repetto , omnis longitudo vitæ præsentis punctum esse cognoscitur , cum fine terminatur.* Et hanc tu veritatem, Divini verbi testimonio comprobatam , dum credis , dum experiris quotidie , quanam fronte bona temporalia diurna audes dicere , & diuturnum eorum usum tibi polliceri ? - Ah ! nimium quantum certa est sequela. *Mors est derelictio omnium bonorum temporalium : ergo bona temporalia sunt transitoria , & nobis tantum ad breve tempus commodata.*

Ita vero si res habet, an non rete concludit Gregorius : *pro magno diligî*



*ligi non debet, quidquid fine concluditur? - Si autem pro magno diligi non debet, quidquid fine concluditur: quod celeri fine concluditur, qualem, aut quam tam a nobis dilectionem meretur? - An non igitur insanus sum, qui mundum, & res mundi unice diligo, qui totum illis cor, & animum affigo, qui procurandis, augendisque bonis temporalibus dies, noctesque impendo? - Audio in clamantem mihi Hieronymum: nulla res mortaliū longa est, omnisque felicitas saeculi, dum tenetur, amittitur. Audio dicentem Paulum: præterit figura bujus mundi. Non habemus hic manentem civitatem. Tempus breve est. Audio Christum: stulte! bac nocte animam tuam repetunt a te, & quæ parasti, cuius erunt? Et tamen mundanis rebus inhiare non desino, in his omnem meam quietem, ac felicitatem constituo, mihi que ipsi fine cessatione in clamo: anima mea! babes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comedere, bibe, epulare. O dignam lacrymis insaniam! o miserrimam cœcitatem! an non justissima est de talibus Hieronymi ad Demetriadem querela: celerem res habituræ finem sine fine queruntur?*

Ve-

Veni paucis abhinc annis ad viri  
cujusdam illustrissimo sanguine prognati  
arcem, in cuius ingressu mihi ali-  
quid occurrit huic, de qua agimus,  
materiae plane accommodatum; cum  
enim in arcis portam oculos conjice-  
rem, hæc illi verba magnis, & con-  
spicuis literis inscripta deprehendi: *in*  
*ictu oculi clauduntur omnia.* Substiti non-  
nihil, & has voces legens intra me co-  
gitavi: o! dignam Christiano Nobili  
tesseram! non alia profecto de causa  
arcis foribus ab ejus Domino inscri-  
ptam, quam, ut & ipse, & posteri,  
quotiescumque arcem subirent, toties  
appropinquantis mortis, & brevitatis,  
celerisque finis possessionum, ac bo-  
norum temporalium admonerentur. -  
O! quam vellem, ut aurea hæc sen-  
tentia in pluribus locis descripta eo-  
rum omnium obversaretur oculis, qui  
mundum, & res mundi sic quærunt,  
sic diligunt, tanquam illis æternum  
fruituri essent, & nihil præterea boni  
expectandum haberent. - Quid cogi-  
tarent, quid dicerent viri divitiarum,  
& pecuniarum amatores cupidi, si, quo-  
ties arcas suas auro, argentoque ple-



nas cum voluptate lustrant, toties iis-  
dem inscripta hæc verba legerent : *in  
ictu oculi clauduntur omnia?* - An non  
**c**onditionis suæ admonerentur, & de-  
posito fastu homines se esse memini-  
sent superbi illi honorum, plausuum,  
dignitatum sectatores, si, dum se ipsis  
pleni titulos suos, & adulatorum suo-  
rum legunt elogia, subjectam semper  
hanc sententiam conspicerent : *in ictu  
oculi clauduntur omnia?* - Nunquamne  
inter medias voluptates suspirarent,  
pallerent, tremerent, qui se his im-  
mergunt, si, dum inter splendida con-  
vivia, lusus, choreas, spectacula,  
voluptates periculosas certe, si non il-  
licitas, dies, noctesque exigunt, igno-  
ta manus, ut olim in Baltassaris con-  
vivio, hæc in pariete verba describe-  
ret : *in ictu oculi clauduntur omnia?* -  
Quo animo suam in speculo formam  
**c**ontemplarentur, seseque ad illud mu-  
liercularum instar comerent adolescen-  
tes vaniculi, si eidem speculo super-  
scriptam invenirent hanc epigraphen :  
*in ictu oculi clauduntur omnia?* - Hoc il-  
lud est, quod Salomonem in sua magni-  
tudine, gloria, divitiis, voluptatibus  
fate-

fateri coegit : vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. Causam mox addit : & nihil permanere sub sole. - O Mors ! o Mors ! bonum est judicium tuum. - Mors est derelictio omnium bonorum temporalium : ergo bona temporalia sunt transitoria, & nobis tantum ad breve tempus commodata.

Sed videor mihi audire aliquos cum illis , quos Salomon in libro Sapientiae cap. 2. describit , ita contra me disputantes. Verum est , neque nos diffitemur : exiguum est tempus vitaे nostræ. Verum inde quid sequitur ? negligenda fortassis bona temporalia , nec animum illis nostrum , tanquam brevi tempore duraturis , proinde nec amore nostro dignis , affigendum esse ? - Apage , ajunt , sequelam tam insipidam. Hoc sequitur. Venite ergo , & fruamur bonis , quæ sunt , & utamur , tanquam in juventute , celeriter . - Non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis , antequam marcescant. - Ubique relinquamus signa lætitia. - Comedamus , & bibamus ; cras enim moriemur. - - Hæc est pars nostra , & hæc est sors. - His ut respondeam , sit



### PUNCTUM III.

**C**onsidera tertiam ex allata veritate sequelam. *Mors est derelictio omnium bonorum temporalium : ergo bona temporalia nihil nobis prosunt, sed plurimum ob- sunt, nisi illis utamur ad eum finem, ad quem nobis sunt commodata.* - Duo sunt hominum genera, quibus sequelæ hu- jus bonitas, ac certitudo probari a me debet. Primum est eorum, qui de **D**eo, de immortalitate animæ, de exi- stentia religionis revelatæ, ejusque mysteriis recte sentiunt : quales vos omnes hic præsentes esse cura illa, quam de animarum vestrarum salute geritis, dubitare me non sinit. Alterum genus eorum est, qui existentiam **D**eī, ut authoris supernaturalis, im- mortalitatem animæ, æternas pœnas, aut proœmia, religionis revelatæ exi- stentiam, & quæ sunt hujusmodi, si non aperte negant, saltem in dubium revocant, & sic vivunt, sic loquun- tur, ut, quales intus, & in animo sen- sus foveant, vita, moribus, ac sermo- nibus suis satis manifestent: quales ho- mines dari ex allatis superius e libro

Sa-

Sapientiæ verbis scio, atque utinam non experientia ipsa scirem : &, quales ne aliqui e vobis aliquando fiant (dum eorum, qui tales sunt, consuetudinem non satis declinabunt, & fortassis declinare nec poterunt) timeo : & ideo arma suppeditare vobis debeo, quibus contra hanc libertinismi, & naturalismi pestem magis semper, magisque invalescentem defendere vos possitis.

Primi generis hominibus, qui de Deo, immortalitate animæ, & religione revelata recte sentiunt, hanc veritatem, & sequelæ a me propositæ certitudinem persuadere difficile non est. Norunt hi, quod Augustinus dicit : *ideo Christiani sumus, ut semper de futuro sæculo cogitemus.* Norunt, quam verum, & traditæ nobis a Christo, & Apostolis evangelicæ doctrinæ consentaneum sit, quod Sanctus Ignatius pro exercitorum suorum, & totius vitæ Christianæ fundamento statuit : *creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet, revereatur, eique serviens tandem salvus fiat.* *Reliqua vero super terram sita creata sunt hominis*



*ipsius causa , ut eum ad finem creationis suæ prosequendum juvent. Hinc autem quidnam aliud inferunt , aut inferre possunt , quam , quod æterna Veritas tum alibi sæpius , tum præcipue Matthæi cap. 16. nobis inculcat : quid prodest homini , si mundum universum lucretur , animæ vero suæ detrimentum patiatur ? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ?*

His evangelicis veritatibus rite penetratis , ac perpensis non poterunt non ita secum ipsis ratiocinari. Fides me docet , bona temporalia mihi a DEO ad breve hujus vitæ tempus comodata esse unice ad hunc finem , ut iis utar ad laudem , gloriam , & obsequium DEI , & ad obtainendam æternam salutem animæ meæ : quando vero vitæ meæ finem mors imposuerit , DEUM a me non solum omnia hæc bona , verum etiam rigidissimam de illis , & illorum usu rationem esse repetiturum. Igitur , si his bonis ad obtainendum prædictum finem non utar , si animæ meæ salutem per illa non consequar , sed ea post mortem excidam , quid mihi profundt omnia hæc

hæc bona ? an non obsunt potius , & gravissimum mihi damnum , certissimam damnationem accersunt ? *Quid enim prodest homini , si mundum universum lucretur , si omnes hujus mundi opes , ac divitias solus possideat , si dignitate , potentia , gloria omnes , qui fuerunt , & futuri sunt , præcedat , si Salomonem sapientia , Samsonem fortitudine , omnes hujus mundi doctos , & doctores scientia superet , si omnia commoda , & gaudia , voluptates omnes , verbo : omnia , quæ desiderare possunt oculi , & cor ejus , ad satietatem usque habeat : animæ vero suæ detrimentum patiatur , & , dum hæc omnia in morte finiuntur , ipse unicum finem suum non obtineat , sed illius jaæturam æternum lugere cogatur ? - quæ habebit bona , postquam omnia in morte derelinquere debuit , quibus animam suam perditam recuperet , quibus vel minimam damni sui partem reparet ? - quam dabit homo commutationem pro anima sua ?*

Hæc ubi secum expenderint , an non audient Magni Leonis monitum : *utere , quomodo utendum est , visilibus creaturis ,*



*turis, & quidquid in eis pulchrum, & mirabile est, refer ad laudem, & gloriam Conditoris? an non cum Petro Chrysologo se ipsos interrogabunt: quare non caducis emimus æterna? an non generoso animo cum Augustino statuent: pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum? an non exclamabunt: o Mors! bonum est judicium tuum. - Mors est derelictio omnium bonorum temporalium: ergo bona temporalia nihil nobis prosunt, sed plurimum obsunt, nisi illis utamur ad eum finem, ad quem nobis sunt commodata?*

Secundi generis hominibus quid dicam? qui, dum negata revelatæ religionis existentia, solo naturalis rationis lumine metiuntur omnia, Sacrarum Scripturarum auctoritatem, & evangelicas veritates respuunt, Sanctorum Patrum sententias exhibant, & explodunt. Sola mihi ratione cum illis agendum esse video. Sit igitur. - Et imprimis quidem non negabunt mihi utique, animam hominis esse spiritum, anima illa, quæ in brutis agit, multo etiam nobiliorem. Actiones certe hominum, si cum brutorum actionibus conferantur, spirituale principium, illud-

Iudique multo excellentius, & exigere, & arguere videntur. Neque sane puto, homines excellentiae, & gloriæ cupidos eo vilitatis prolapsuros, ut sola externa figura, & membrorum, atque machinæ hujus, ut loqui solent, dispositione, & coordinatione brutis meliores, ac nobiliores esse velint, & se esse fateantur.

Hoc posito ex illis quæro, utrum hæc temporalia, & transitoria bona corporis, an animæ, tam nobilis, & excellentis spiritus, bona esse putent. - Audiant Basilium Evangelico illi Diviti animam suam sic alloquenti : *anima ! babes multa bona : - - requiesce, comedie, bibe, epulare, talem insaniam e solidius rectæ rationis principiis his verbis exprobrantem : o verba stultissima ! si porcinam habuisses animam, quid aliud illi enunciare potuisses ? itane pecuinus tu, bonorum animæ ignarus, eam ut excipias carnalibus epulis ? - - Nunc itaque, si hæc bona corpori duntaxat, non item spiritui, conveniunt (quod profecto, nisi omni rationis lumine destituti sint, negare non possunt) quænam igitur erunt animæ bona ? An fortassis tam*

pauper est Deus , ut nobiliori hominis parti bona , quæ illi propria sint , dare nequeat ? aut tam iniquus , & avarus , ut dare nolit ? Anne nobilis hic spiritus ea solum causa creatus , & humano corpori infusus est , ut ei serviat , ut eo regendo , & procurandis ejus commodis sine ullo suo lucro , aut obtinendi aliquando prœmii spe occupetur ? - Hæc si vel ipsa recta ratio , tanquam absurda , respuit , quidnam aliud supereft , quam ut , dum bona , quæ spiritui conveniant , in hoc mundo frustra quærimus , alia illi bona post hanc vitam reposita , eumque proinde cum corpore moriturum non esse fateamur ? secus enim an non deterior multo foret bonorum , quam malorum , conditio ? dum enim isti temporalibus abundant bonis , & in eorum usu toti sunt , illi his bonis plerumque carent , aut certe iis e virtutis legibus utuntur parcus : neque tamen , quod expectarent , boni , neque , quod metuerent , mali haberent .

Quæro ulterius , cur in maxima etiam temporalium bonorum abundantia intus , & in animo nunquam plene quie-

quieti sint, sed semper sibi aliquid deesse sentiant: cur ipsa hæc abundantia illis fastidium non raro, tædiumque generet. An non vel hoc solum, si rationem audire velint, manifesto est indicio, eorum animam terrenis hisce bonis non expleri, sed majus aliquid, & excellentius, quam mundus dare possit, naturali quodam instinctu appetere, & altiorem longe finem sibi propositum habere?

Hæc si non sufficiunt, illud mihi certe dabunt, Catholicam de revelatæ religionis existentia, animæ immortalitate, & futuræ vitæ pœnis, ac prœmiis sententiam tot sapientum, & doctorum hominum consensu probabilem saltem reddi, atque hæc omnia ita re ipsa habere se posse. - Nunc igitur, si quo casu in suis se ratiociniis errasse, si revelatam religionem, quam sequi debebant, existere, si animam suam immortalem, atque ad hunc finem, ut aliquando salva fiat, creatam esse: hoc autem fine (quod necessario eveniret) æternum excidisse post mortem comprehendenterint, quid facturi sunt? quale in rationis suæ scriniis, & ad naturale suum



suum lumen inventuri medium, quo in  
 eo rerum articulo se juvent? - Quod-  
**si** contra nobiscum senserint, & secun-  
 dum revelatæ religionis, ac Evangelii  
**regulas** temporalibus bonis ad obtainen-  
 dum, quem statuimus, finem usi fue-  
 rint, semper salva res est; nam &, si  
 falsa sint, quæ credimus, si (quod illi  
**volunt**) cum corpore etiam anima in-  
 tereat, de frustra quæsito fine, de par-  
**ciore** temporalium bonorum usu do-  
 lere non poterunt, quando amplius non  
 erunt. - Hæc argumenta nisi ita re-  
 solverint, ut hominem rationis com-  
 potem de opposita sententia **convin-**  
**cant**, invicta manet, & manebit se-  
 quela, quam statui. *Mors est derelictio*  
*omnium bonorum temporalium: ergo bona*  
*temporalia nihil nobis profunt, sed pluri-*  
*mum obsunt, nisi illis utamur ad eum finem,*  
*ad quem nobis sunt commodata.*

Ah! usquequo igitur, mi DEUS!  
 usquequo gravi corde diligo vanitatem, &  
 quæro mendacium? usquequo tibi inju-  
 riām facere non desino, dum ea bona  
 mea dico, quæ non nisi a te commo-  
 data accepi? quod si enim tu hoc mo-  
 mento animam meam a me repetas,  
*cujus*

cujus erunt hæc omnia ? - mea certe non erunt. - Quomodo ergo illa nunc audeo mea dicere ? qua fronte audeo de illis , tanquam meis , gloriari ? - Ah ! non , non sunt mea , quæ mecum auferre nequeo , quæ , nolim , velim , omnia moriens aliis relinquam. Tua sunt , o mi DEUS ! hæc bona : tu ea dedisti , atque sic dedisti , ut nihil in illa juris , nihil dominii , sed solum mihi usum concesseris : & hunc quam diu ? - *Tempus breve est : tu constituisti terminos ejus , qui præteriri non poterunt.* In ictu oculi clauduntur omnia. Hoc tempus ubi elapsum fuerit , tu de horum bonorum usu rationem a me repetes , qui finem mihi , ad quem illis uti debeo , gloriam tuam , & animæ meæ salutem constituisti. Ah ! si eis ad hunc finem usus non fuero , si hoc fine tunc excidero , quid mihi proderunt omnia ? quid proderit , si universum mundum lucratus , animæ vero meæ detrimen-  
tum passus fuero ? - O me igitur insa-  
num ! qui inordinato temporalium bonorum amore , & perverso illorum usu huic me periculo toties exponere non horrui , & nunc actu me expo-  
situm



situm esse deprehendo. Confiteor coram te, mi DEUS ! insipientiam meam, eamque ex toto corde pœnitens detestor. *Pereat*, cum Augustino statuo, *pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum.* Tu o DEUS ! fac me per gratiam tuam ita transfire per bona temporalia, ut non amittam æterna. Amen.

## MEDITATIO II.

### MORS EST FINIS TEMPORIS.

**I**nter alia, quæ de Morte in Sacris Literis dicuntur, illud est, quod Ecclesiastici cap. 40. legimus, ubi Mors vocatur *Dies finitionis*. Cujus autem potissimum rei finis censi mors debet, si quærimus, responsum nobis Daniel. 8. his verbis redditur: *babet tempus finem suum.* Mors igitur est finis temporis: & ut talem nobis eam præsens meditatio proponet. Sequila, quam inde deducimus, hæc est. Si mors est finis temporis: igitur stulte agunt illi, qui, quod in tempore facere deberent, ad finem temporis differunt: ad finem, inquam, qui i. est

in-

incertus : 2. plerumque valde brevis : 3. ut plurimum multis, & gravibus impedimentis obnoxius. Clarius ut rem omnem proponam. Mors est finis temporis. Igitur insani sunt, qui pœnitentiam, quam nunc agere deberent, ad mortem, seu finem temporis differunt : quia 1. nemo scit, quando hic finis sit venturus : 2. nemo scit, an tunc sufficiens agendæ pœnitentiæ tempus sit habiturus : 3. nemo scit, an ab agendæ pœnitentiæ impedimentis liber sit futurus.

## PUNCTUM I.

Pœnitentiam omnibus, qui per vitam suam graviter peccarunt, ad salutem necessariam esse fides docet, & jam alias a me in parabola sterilis fulneæ, ex hoc ipso loco proposita, e Sacris Literis, Ecclesiæ definitione, & Sanctis Patribus sufficienter est probatum. Neque hæc veritas ab ipsis peccatoribus, si modo in fide sani sint, negatur. At enim terrenarum voluptatum amore capti, & agendæ pœnitentiæ difficultate, quam sibi fingunt, absterriti pœnitentiam ab uno die in alium dif-



differunt, & reæ conscientiæ remorsus longioris vitæ spe sopire conantur. O ! ajunt : sum adhuc juvenis, vegetus, per DEI gratiam sanus, & incolumis : ætas, & vires meæ longioris mihi vitæ spem satis certam faciunt. Si quando gravior morbus, & vicinæ mortis periculum ingruerit, si vires meas deficere, & senectutem, ac mortem appropinquare sensero, agam pœnitentiam, sincera confessione totius vitæ peccata expiabo, bonorum operum exercitio pro illis conabor satisfacere, & hæc omnia faciendi tempus sufficiens habebo. Novi tot alios, qui sic fecerunt, & Sanctissimis Sacramentis muniti, optimeque comparati cum certa obtainendæ salutis spe, ac fiducia ex hac vita migrarunt. Quod obtinuerunt tot alii, ego cur non sperem ?

Speras igitur tantum, & non scis? -- O ! quam metuo, ne cum omni hac tua spe aliquando illud Isaiæ cogaris dicere : posuimus mendacium spem nostram. - Audi Hieronymum : nihil ita decipit, quam, cum ignorant homines spatia vivendi, & longiorem sibi vitam tamen promittunt. - Hoc ut clarius videas,

&,

&, quam infirmum hujus tuæ spei fundamen-  
tum sit , plene intelligas , judi-  
cium mortis exquire , cui , tanquam  
ipsius Divini Spiritus ore commenda-  
to , ac proinde certissimo , acquiesce-  
re & potes , & debes . - *Mors est finis  
temporis.* - Audisti ? - Illius , inquam ,  
*temporis*, de quo Paulus ait : *dum tem-  
pus habemus , operemur bonum :* de quo  
Christus apud Joannem loquitur : *me  
oportet operari , donec dies est : venit nox ,  
quando nemo potest operari :* de quo testa-  
tur Sapiens : *umbræ transitus est tempus  
nostrum , & non est reversio finis nostri.* -  
Et ad hunc tu finem temporis pœni-  
tentiam , quam tibi ad salutem necef-  
sariam esse scis , & fateris , differre sta-  
tuis ? & sic differt , ut eam te aucturum  
non speres modo , sed certissime con-  
fidas ? - Adeone igitur de hoc jam cer-  
tus es , ut nullam timendi causam ha-  
beas , ne sic differens gravissimo te pe-  
riculo non agendæ pœnitentiæ , & amit-  
tendæ salutis exponas ?

Si usque adeo certus es , si nihil  
est , quod timeas : dic igitur , quando  
hic finis tui temporis sit futurus . -  
Quid hæres ? quid respondere detre-



Etas? - Edic: quotnam vitæ tuæ anni supersunt? quo anno, mense, die, hora morieris? qualis, aut quam diuturna infirmitas mortem tuam præcedet? - quid ais? quid judicas? - Respondebis mihi procul dubio illud Ecclæsiastici: *nescit homo finem suum*: dices, incertum esse vitæ tuæ tempus, ejusque finem ignotum penitus. Et verum dices; neque aliud dicere, aut respondere poteris, quando Christus ipse affirmat: *qua hora non putatis, Filius hominis veniet*. - Nunc igitur ad finem tam incertum, tibique penitus ignotum tu tamen gravissimum, & unicum salutis tuæ negotium differre non horres? adeone igitur tui securus es, ut nil timeas? adeone firma tibi, & certa videtur spes, cuius fundamentum omne, cui innititur, prorsus incertum, ac ignotum esse ipsem fateris? - An ergo non times Judicem, qui, ut ait Guerricus Abbas, *prope est, & forsitan mihi, forsitan tibi in januis est?* Quid si hoc ipso momento illud Threnorum cap. 4. cogeremur dicere: *completi sunt dies nostri, venit finis noster?* Quid si hoc ipsum, quod nunc loquor,

ver-

verbum in vita mea esset ultimum, aut aliquis e præsentibus, qui illud audit, apoplectico iectus fulmine repente ex animis corrueret? - An fortassis exempla desunt? an fortassis ejusmodi repentinæ mortes tam sunt raræ, ut non nisi intra multos annos semel incerta fama e longinquis nuncientur regionibus, & non in hac ipsa urbe, ac fere in oculis nostris & jam sæpius, & non ita pridem contigerint? - Quid si aliquem ex hoc loco domum redeuntem delapsa repente ex alto trabs, aut tegula in iectu oculi oppimeret? quid si alias hac sequenti nocte dormiens rupta in pectori vena, aut repentino anginæ malo suffocaretur prius, quam ad eum juvandum accurri posset? - O! quot alia dantur ejusmodi repentinæ mortis genera, quot occurrunt exempla, quæ in magnis urbibus, & provinciis tam sunt frequentia, ut penne quotidiana dici possint.

Et huic tu casui, huic tam incertæ spei æternam salutem tuam, quæ semel perdita recuperari amplius non potest, committere non times? in hac tanta incertitudine satis te securum es-



se putas ? quis , amabo , te securum reddit , quod tot aliis evenit , illud tibi evenire non posse , & non reipsa eventurum ? Ah ! nescit homo finem suum . - *Forsitan mibi , forsitan tibi in januis est.* - Quid ad hæc ais ? an pœnitentiam , & bona opera ad salutem necessaria ad mortem usque differre non horres ? an , si sic differres , te stulte aëtatum non confiteris ? - Audi Magnum Gregorium : *præsens vita semper incerta est.* Tanto ergo semper mors surripiens timeri debet , quanto nunquam prævideri valet .

Magis de hac veritate ut te convincam , dic mihi : si pro certo scires , venturos ad te latrones , ut non solum domum tuam omnibus rebus spolient , verum etiam te ipsum occidant : tempus autem , quo venturi essent , penitus ignorares , ita quidem , ut nullo die te securum esse scires : quid ageres ? an domum tuam , & cubiculum occludere , portas omnes feris , & peffulis firmare , vigiles , qui diu , noctuque pro salute tua excubent , constitueres , de armis ad defensionem necessariis tibi providere ex uno die in alium ,

aliū, & ad ipsum usque latronum adventum differres ? an sic differendo quietus, & curarum, ac timoris expers comederes, biberes, luderes, dormires ? an incertæ spei de adventu latronum tam cito non futuro fideres, & huic fidendo insipienter te agere, ac in maximo periculo versari non judicares ? an non potius accepta tali notitia ea omnia nullo temporis momento neglecto comparares, quæ adversus repentinam latronum irruptionem præsidio esse, ac securitatem præstare tibi possent ? an non de media nocte, audito in vicinia vel minimo strepitu, e lecto te proriperes, & ad defendendam vitam, ac domum tuam strenue te comparares ? - Et cur sic ageres ? - Ad conservandam diutius vitam, quam tamen aliquando, & fortassis post breve tempus alio mortis genere debebis amittere, & qua amissa aliā meliorem sperare potes : ad differendam per aliquid tempus mortem, quam tamen evitare non potes, sed per paucos duntaxat annos, & fortassis ne per hos quidem differre : & quæ mors solum corpus,



non item animam interimet, ac æterna non erit.

Nunc igitur an non fides, experientia, ratio te docet, mortem tibi aliquando certissime oppetendam fore? potesne de hac moriendi necessitate majorem aliquam certitudinem, quam hæc allata sit, exigere? an non tempus illud, quo vitæ tuæ finem mors imponet, ignoras penitus, & sic ignoras, ut nullo die, nulla hora, & ne momento quidem te securum esse scias? an non Deus ipse tibi in Sacris Literis protestatur toties: *veniam ad te, tanquam fur, & nescis, qua hora veniam ad te?* an non fateri cogeris, si hæc mors imperatum te invenerit, si te in eo statu, in quo nunc aëtu es, oppresserit, aëtum esse de vita tua non tantum corporis, sed animæ, & quidem sine omni spe, ac remedio: atque talem animæ mortem non temporalem tantum fore, sed æternam, quæ animam tuam unico suo fine æternum privatam, æternis una cum corpore in extremo judicii die illi rursum uniendo transcribet incendiis? - Et tamen his omni-

omnibus pensi non habitis, pœnitentiam, & bonorum operum exercitium ad salutem unice necessarium ex uno die in alium, ad hanc usque mortem, & tam incertum temporis tui finem differre non times? tam infirmæ, ac prorsus incertæ de morte fortassis non tam cito eventura spei fidere non metuis? æternæ mortis, quam non tantum differre, sed penitus evadere, amittendæ vitæ æternæ, quam non ad breve solum tempus, sed in æternum conservare potes, & facile potes, periculo exponere te non horres? - Adeo ne igitur stultus es, ut apertis oculis cœcutias, &, quam rabide te ipsum oderis, in quam immanis mali præsentissimum periculum te conjicias, non videas? - O Mors! aperi oculos cœci hujus, ut bonum judicium tuum videat, ut intelligat, quam certa sit hæc sequela: *Mors est finis temporis*, & quidem finis *incertus*, quovis momento timendus: igitur stulte agunt illi, qui, quod in tempore agere deberent, ad finem temporis tam incertum differunt: aperi aures surdi hujus, ut Augustinum monentem audiat: *cum gaudio debet facere*

*immortalis futurus, quæ faceret pro dif-  
ferenda morte moriturus.*

## PUNCTUM II.

**S**i incertitudo finis, quem tempori nobis a DEO concessio mors impo- net, nondum sufficit, ut ad agendam nunc, & non differendam diutius ne- cessariam pœnitentiam, ac bonorum operum exercitium te moveat, si lon- gioris vitæ spei, quamvis fallaci, fi- dere, & mortem non nisi post præce- dentem morbum eventuram polliceri tibi pergis, demus igitur, aut fingamus potius (affirmare enim, aut promit- tere sine manifesto te decipiendi peri- culo non possum) fingamus, inquam, te non nisi post plures annos, & præ- cedentem gravem morbum, propinquæ mortis nuncium, ex hac vita discessu- rum: ut adeo temporis tui finis, quam- vis nunc incertus, adventum tamen suum satis certis signis, ac indiciis sit proditurus: quidnam inde tibi certæ spei, ac securitatis polliceris? - Para- bo me ad mortem pie oppetendam, a- sis, & eo ipso tempore, quod in mor- bo

bo ad ipsam usque mortem mihi suppetet , ad agendam pœnitentiam , & salutem meam in tuto collocandam utar. Ubi primum imminere periculum cognovero , sinceram de totius vitæ peccatis confessionem contrito corde peragam , eaque omnia faciam , quæ Confessarius pro animæ meæ salute , & conscientiæ securitate facienda præscripserit. Tempus omne reliquum cum Deo inter preces , & pios affectus , & cum Confessario in negotio salutis meæ recte constituendo exigam : morbi dolores patienter feram , & in satisfactionem pro peccatis meis Christi Crucifixi doloribus unitos offeram , & ita non solum a peccatis liber , sed etiam bonis operibus , ac meritis non vacuus , speique bonæ plenus ex hac vita decedam.

Multa proponis , multa tibi promittis : sed an hæc omnia , & eadem facilitate , qua nunc recitas , implere poteris , dubito , atque , ut sincere tibi fatear , timeo , ne non impleas , & implere non possis. Causam quæris ? Audi Ecclesiasticum dicentem tibi : *memor esto , quoniam mors non tardat.*

*Mors est finis temporis*, & quidem finis plerumque *brevis*, de quo nemo scit, aut scire potest, an tunc sufficiens tempus agendæ pœnitentiæ ad salutem necessariæ sit habiturus. - An in hac veritate nullam timendi causam invenis, ne, si pœnitentiam, & bonorum operum exercitium ad salutem necessarium ad mortem usque, ac finem temporis differre pergas, ea, quæ nunc proponis, tunc implere non possis?

At enim de hac ipsa forsitan veritate dubitas, & tam brevem fore temporis tui finem, ut tibi persuadeas, adduci non potes? - Audi igitur. - Mors infallibili æternæ Veritatis testimonio cui comparatur? - nonne furi? *veniam ad te, tanquam fur*, in Apocalypsi dicitur, & in pluribus Sacræ Scripturæ locis eadem comparatio repetita invenitur: ut adeo mortis adventum adventui furis similem esse dubitari non possit. - Nunc itaque: furis adventus qualis esse solet? - Non repentinus tantum, & improvisus: sed brevis etiam, & quasi momentaneus; fur enim, ne deprehendatur, metuens,

moras non trahit, non se detinet: sed collectis, quanta potest, velocitate rebus, quas furari cupit, celeri fuga se proripit, ut insequentium manus evadat. Hinc vero an non brevitatem ejus finis, quem concessio nobis temporis mors imponet, clare colligis? an non Sacrae Literae hac furis potius, quam hostis repente incurrentis, similitudine usæ videntur propterea, ut hanc ipsam temporis, quod inter vicinæ mortis periculum, mortemque ipsam intercedet, brevitatem inculcent? an non eadem de causa Magnus Gregorius, dum mortem timere nos jubet, hac expressione utitur: *mors surripiens timori debet?* - *Mors surripiens*, inquam, quæ velut in iectu oculi simul advenit, & transit? an non ipse DEI Filius adventum suum (quo loquendi modo in Sacris Literis mors exprimitur) testatur fore instar fulguris, quod vix ortum jam disparet? -

Hæc si non sufficiunt, ad experientiam ipsam provoco. Dic mihi, si scis, aut extremo morbo laborantibus saepius adfuisti: quando ægris, præsertim talibus, quorum vita maxima

ma sui parte inter vanitates, mundana  
gaudia, & libertatem acta, & quibus  
proinde magis necessaria est poeniten-  
tia, vicinæ mortis periculum indica-  
ri, & ab illis credi solet? - Si verum  
fateri velis, negare non poteris (ut  
nunc plerumque moris est) id non  
prius fieri, quam eo res adductæ sint,  
ut recuperandæ valetudinis spes non  
solum omnis evanuerit, verum etiam  
pauci vitæ dies superesse ipsi ægro vi-  
deantur. - Si sub morbi, quamvis gra-  
vioris, & certissimo cum periculo con-  
juncti, initium vicinæ mortis, aut pe-  
riculi mentionem injicere quis velit,  
nihil non agitur, ut tam importunus  
monitor ab ægri lecto arceatur, aut,  
si arceri nequeat, illius verbis dero-  
getur fides, & ægro longioris vitæ spe  
laetato metus omnis eximatur. Quod-  
si etiam periculum celari nequeat, ex-  
cusatur saltem, & non tam propin-  
quum esse dicitur, ut præparatio per  
unum, alterumve diem differri non  
possit: æger ipse, quamdiu potest,  
sperat, & quamdiu vel tantillæ spei  
aliquid superesse putat, seriam de ne-  
cessaria ad mortem præparatione cogi-  
tatio-

tationem non admittit: atque hoc tam  
diu, donec ita invalescat morbus, ut  
ægro non nisi biduum, triduumve ad  
agendam pœnitentiam, & res animæ  
componendas supersit: neque Sacer-  
dos vocatur prius, quam in eo res  
sint statu, ut ab ægri lecto amplius  
discedere vix possit.

Intra hoc jam tempus agenda fo-  
ret dilata per tot annos pœnitentia,  
recensenda totius vitæ peccata, obli-  
gationes omnes, quæ per peccata con-  
tractæ, & ex iis ortæ sunt, implendæ.  
Tantis rebus tantillum tempus an suf-  
feturum existimas, præsertim si præ-  
terea, ut plerumque fieri solet, ne-  
cessaria circa hæreditatem, & res tem-  
porales dispositio pariter ad mortem  
usque sit dilata? - Cogita: si de alie-  
nis bonis per paucos duntaxat annos  
administratis acceptorum, & expenso-  
rum rationes reddendæ tibi forent, an  
ad eas rite conficiendas biduum, tri-  
duumve sufficeret, si etiam per hos  
annos diligenter adnotasses omnia, ut  
memoriam fugere nihil posset? an non  
vel ad ista in ordinem redigenda plus  
temporis exigeres? - Nunc vero an  
mi-

minoris tibi momenti esse videntur rationes animæ, & quidem non de paucis tantum annis, sed, ob dilatam ad mortem usque pœnitentiam, de tota vita cum Deo, & Confessario compонendæ, atque ob præcedentes confessiones perfunctorie institutas nunquam sic adnotatæ, ut non plura memoriam fugere debeant, nisi totius vitæ tempus accuratori examini subjiciatur? an non Theologorum omnium consensu ad confessionem rite peragendam tanta diligentia requiritur, quanta temporali majoris momenti negotio tribueretur? - Quomodo ergo persuadere tibi potes huic uni omnium gravissimo negotio suffictrum tempus, quod alteri temporali recte retractando non sufficeret? - Quid, si alienarum rerum facienda esset restitutio? quid, si reparanda damna aliorum famæ illata? quid, si retractanda scandala? quid, si inveterata odia, & inimicitiae tollendæ? tot, & tam variis rebus biduum, triduumve unum quomodo sufficiet? an tam facilia, & expedita tunc erunt omnia? an mors, donec ista fiant, differri se patietur?

O!

O ! quantum me terret proposita  
 in Evangelio quinque fatuarum virgi-  
 num parabola, quæ, dum necessariam  
 ad nuptias præparationem ad adven-  
 tum usque Sponsi distulerunt, tametsi  
 ad primum de illius adventu nuncium  
 omni festinatione usæ sint, advenien-  
 tis tamen Sponsi celeritate præventæ  
 occlusas sibi fores, omnemque ad  
 nuptias intrandi spem succisam inve-  
 nerunt. - Ah ! *dum tempus habemus,*  
*operemur bonum*, cum Paulo repeto. -  
*Mors est finis temporis*, & quidem finis  
 plerumque *brevis* : igitur stulte agit,  
 qui ad hunc finem differt, quod in tem-  
 pore agere deberet ; merito enim ti-  
 mendum est, ne in tali impleatur il-  
 lud, quod in Apocalypsí *per viventem in*  
*sæcula sæculorum* juravit Angelus : *quia*  
*tempus non erit amplius.* - *O Mors ! bo-*  
*num est judicium tuum.*

### PUNCTUM III.

**Q**uod terrorem nostrum augere me-  
 rito debet, & nos ad agendam  
 ante mortem, & extremum morbum  
 pœnitentiam, ac exercenda bona ope-  
 ra

ra ad salutem necessaria impellere, multa, & gravia impedimenta sunt, quibus temporis nostri finis obnoxius esse solet. Nemo scit, an ab agendæ pœnitentiæ impedimentis in morte liber sit futurus: igitur stulte agit, qui ad mortem usque differt illud, quod an agere tunc poterit, penitus ignorat. - Hoc illud est, quod nobis Sapiens inculcat, dum ait: *noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo;* quid enim est mori in tempore non suo, nisi tempus illud, quod in morte habituri sumus, ita undique impeditum fore, ut nostrum amplius non sit, ut illo ad agendam pœnitentiam uti non possimus? - Ut hæc veritas clarius tibi fiat, quatuor impedimentorum genera tibi propono, quæ pœnitentiam ad vitæ finem differenti occurrere possunt, & vero etiam non raro solent. Horum alia oriuntur ab ipso morbo, alia ex præcedente vita, alia dæmon objicit, alia denique ab ipso DEO non ponuntur quidem, sed, cum auferri facile possent, non auferuntur.

Et imprimis quidem ex parte ipsius morbi occurruunt dolores, defectus vi-  
rium,

rium, sensuum, & ipsius rationis usus  
 multum s<sup>e</sup>pe imminutus, non raro per  
 tempus aliquod penitus amissus. - Co-  
 gita, si vel unus capitis, aut dentium  
 dolor hominem c<sup>o</sup>etera etiam sanum,  
 ac valentem ad rem quamlibet feriam  
 tractandam ineptum reddit, quid ex-  
 tremi morbi dolores plerumque gra-  
 ves, ac multiplices facturi sint, an  
 tractandis animae, ac salutis negotiis  
 nihil difficultatis, & impedimenti ob-  
 jecturi. Quomodo ergo, si quidem  
 rationis compos es, fieri potest, ut  
 p<sup>o</sup>enitentiam tibi tantopere necessariam,  
 ut negotium omnium, quae homini  
 occurrere possunt, negotiorum gravis-  
 simum, maximeque serium illuc dif-  
 feras, ubi, si etiam temporis tibi sa-  
 tis esset, morbi tamen dolores impe-  
 dimento fore non potes non praevide-  
 re? quomodo persuadere tibi potes,  
 te inter eos dolores examinandis to-  
 tius vitae peccatis, eliciendo de illis  
 vero, sinceroque dolori, & aliis vir-  
 tutum Theologicarum actibus parem  
 fore, inter quos vix recitandae semel  
 attento animo orationi Dominicae, ac  
 salutationi Angelicæ par es futurus? -

D

Ad-



Adde debilitatem virium non corporis tantum, sed & animi, quæ in ejusmodi morbis tanta esse solet, ut, si Sacerdos pauca verba suggerat, æger non raro iis vel attendendo, nedum illa intus apud se repetendo fatigetur, ac deficere se sentiat. Experientia terret, quando non semel ab ejusmodi ægris audivi : ah ! Pater ! quid faciam ? non sum in statu vel unicam piam cogitationem attento animo volvendi. - O ! quoties tales ægros mihi dicentes audivi : nunc sentio, quam difficile sit in morte agere pœnitentiam, quam pericolosum illam ad finem usque differre : ego certe damnationem non evaderem, si illam huc distulisset. - Quid ad hæc aies ? - Quid si morbi vehementia loquelam, aut ipsam mentem eriperet ? quid, si ob vicina jam deliria cum confessione, & viatico properandum foret ? quid, si confessionem ipsam uno, alterove die dilatam prævenirent hæc deliria ? quid, si a primo eorum accessu tempus omne usque ad mortem tibi nunquam satis præsens exige-

exigeres, ita, ut assistens lecto, & in  
 omnem te juvandi occasionem inten-  
 tus Sacerdos vel unicuni certum inter-  
 ni doloris signum pro impertienda ab-  
 solutione elicere non posset? - Hæc,  
 aut his similia si evenirent, quando tan-  
 dem ad mortem usque dilata, & ad sa-  
 lutem necessaria pœnitentia ageretur? -  
 Aut fortassis ejusmodi casus tam rari  
 sunt, ut ad incutiendum hominibus  
 terrorem eos necesse sit fingere, & non  
 experientia ipsa, eaque multiplici, ac  
 vix non quotidiana possint comproba-  
 ri? - O! quam vere Augustinus pro-  
 nunciavit: *pœnitentia, quæ ab infirmo fit,*  
*infirma est: pœnitentia, quæ a moriente*  
*tantum fit, timeo, ne & ipsa moriatur.* -  
 Et cum tali infirma, aut moribunda  
 pœnitentia æternam tibi salutem polli-  
 ceris? o temeritas! o insania!

Considera ulterius, quantum præ-  
 cedens tua vita pœnitentiæ in morte  
 agendæ impedimenti sit allatura. Au-  
 di rursus Augustinum: *quomodo aget*  
*pœnitentiam, ejus verba sunt, quomodo*  
*aget pœnitentiam in extremis vitæ finibus*  
*constitutus?* - Quid dubitas, Sancte  
 Doctor! quasi omnem tali spem adime-



res pœnitentiæ agendæ ? aget illam, ne dubita ; agere enim pœnitentiam in morte sibi firmiter proposuit, & ab hoc proposito non recedet. Si de modo quæris : primo omnium ponet ante conspectum suum DEUM, quem peccando offendit. - Quid ais ? Augustinus involat : *quomodo ponet ante conspectum suum Deum, cuius ante conspectum non est, nisi sæculum?* - At enim hoc se fecisse, & in hoc errasse videbit, ac dolebit. - Ita, reponit Augustinus : *videbis te, & planges te : sed non erit tunc, quando corrigas te.* - Cur autem non erit tunc corrigendi tempus ? - Causam quæris ? etiam hanc Augustini verbis accipe : *peccata te dimiserunt, non tu illa : quia tunc vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes.* - O ! si qui que nostrum horum Augustini verborum sensum recte intelligeret, & animo suo alte impressum retineret : *quomodo aget pœnitentiam in extremis vitæ finibus constitutus ?* - Quid enim ad veram, ac salutarem pœnitentiam requiritur ? nonne verus, ac supernaturalis animi dolor, quo peccata nostra propter

pter Deum, quem per illa offendimus,  
 detest mur, & firmum, sincerumque  
 propositum vitam nostram in melius  
 commutandi? Talem autem dolorem  
 quomodo elicit, qui toto vitae suae  
 tempore rebus terrenis, voluptatibus,  
 peccatis immersus, de Deo, rebusque  
 supernaturalibus cogitare nunquam af-  
 fuevit, qui ipsum adeo tales aetus eli-  
 ciendi modum, ac motiva ignorat? -  
*Quomodo ponet ante conspectum suum Deum,*  
*cujus ante conspectum a tot jam annis, &*  
*per inveteratam consuetudinem non est,*  
*nisi saeculum? an non cum Davide Sau-*  
*lis armis induto exclamabit: non pos-*  
*sum---quia usum non habeo?* - Quo-  
 modo deinde sincerum erit peccata  
 fugiendi propositum, eo tempore, quo  
 peccare jam amplius non poterit, & ex  
 solo vicinæ mortis metu conceptum?  
 quomodo in extremo vitae termino  
 constitutus totum suum repente sic  
 mutabit animum, ut sincere oderit,  
 quod per vitam omnem amavit unice,  
 & amare ne nunc quidem desineret,  
 nisi mortem tam vicinam videret? -  
 Ut nihil dicam de gravissimis saepe ob-  
 ligationibus per prioris vitae peccata



contractis, quas implere uti difficillimum in morte accidit, ita non parum inde impedimenti agendæ veræ pœnitentiæ objicitur. - Ah ! quomodo, cum Augustino repeto, quomodo aget pœnitiam in extremis vitæ finibus constitutus ? - Videbit se quidem, & planget se : sed non erit tunc, quando corrigat se.

In hoc porro rerum articulo nihilne movebit dæmon, ut pœnitiam impedit ? an non vires omnes, ac conatus tunc impendet, ne tot annorum possessione sub vitæ finem dejiciatur ? Ah ! quantum me terret Tridentini Concilii effatum : nullum tempus est, quo adversarius noster vehementius suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, quam cum impendere nobis exitum vitæ prospicit : - quantum me terrent illa Apocalypsис verba : descendit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet. - Si justis, qui eum toties vicerunt, ejus in morte insidiæ tantum metus, ac terroris adferunt, quid adversus illos non audebit, quos a tot annis assuevit vincere, quorum intimos animi recessus, ac propensiones omnes diurno usu

usu cognitas sibi habet? - an non timendum est, ne, in memoriam revocatis, & ad vivum repræsentatis prioris vitæ peccatis, ægre sopitos ignes rursum suscitet, aut, si hoc non possit, proposita peccatorum gravitate fiduciam eripiat, & in desperationis barathrum morientem impellat? - Expertus loquor: non terreo, non fingo.

Sed dicas mihi: confido in infinita DEI misericordia, quod me tunc non deseret, sed gratia sua proteget, & vires addet, ut diabolo resistam. Aderit misericordiæ Mater, quæ Sodali suo adjutricem manum porrigit. Aderit Sacerdos, qui suggestis piis monitis, ac precibus ad pugnandum contra dæmonis tentationes me armabit. - Dic mihi, amabo: unde tibi tanta, & tam certa de auxilio Divino tam efficaci, ac congruo, ut dæmon pœnitentiam tuam non impedit, in morte habendo fiducia? an in præcedentibus tuis meritis? - scis utique, finalem perseverantiam sub meritum non cadere, sed speciale DEI donum esse? - quod si etiam magnum hoc donum mereri quis posset, vita tua in peccatis acta, & di-



lata usque ad mortem pœnitentia quidnam ad obtinendum tam grande donum meriti haberet? - an in Divinis promissionibus? - ubi, quæso, hoc finalis perseverantiæ donum tibi a Deo promissum est? - dat Deus etiam in morte gratias, quibus adjuti diabolo resistere possimus: non nego: sed an post neglectas tot præcedentes gratias tibi tales tunc datus sit, quibus te cooperaturum ab æterno prævidit, nescio, - dubito, - &, ne non det, timeo. - Terrent me Isaiæ verba: *væ!* qui spernis: nonne *& ipse sperneris?* terrent me Spiritus Sancti apud Sapientem minæ: vocavi, *&* renuistis: ego quoque in interitu vestro ridebo. - Tunc invocabunt me, *&* non exaudiam: consurgent, *&* non invenient me: terret ipsius Christi apud Joannem prædictio: *quæretis me, & non invenietis, & in peccato vestro moricmini.* - Quid, si ob non actam in tempore, ad quam te Deus toties vocavit, pœnitentiam contra te quoque, ut olim contra Jechoniam Regem Juda, lata esset tunc sententia: *scribe virum istum sterilem?* quid, si idem tecum fieret, quod morienti Antiocho

eve-

evenisse legimus : orabat sceleſtus Deum,  
*a quo non erat misericordiam consecuturus?*  
 O ! quantum timeo , ne hanc tuam fi-  
 duciam , quæ fretus pœnitentiam ad  
 mortem usque differs, temerariam fui-  
 se tunc experiaris. - In Virgineæ Ma-  
 tris patrocinio quantum tibi spei sit  
 repositum , e tua in ejus cultu negli-  
 gentia metire.

Sed nempe in Sacerdotis affisten-  
 tia confidis? - Quid, si DEUS in pœ-  
 nam tui erga Sacerdotes per omnem  
 vitam odii<sup>s</sup> ac contemptus ita res di-  
 sponeret, ut morienti, ac in morte ten-  
 tato tibi Sacerdos non adesset ? quid,  
 si eo ipso momento , quo gravissima  
 te urgeret tentatio , nihil ille tibi sug-  
 gereret? quid si suggesterentem non au-  
 dires ? quid, si tentatione victus , an-  
 tequam suggestendo dolorem , teque  
 absolvendo succurrere Sacerdos pos-  
 set, repente morereris ? - Hæc , &  
 his similia an agendæ in morte pœni-  
 tentiæ impedimenta non forent, quæ  
 ab ipso Deo uberiores, & speciales gra-  
 tias, quas dare non tenetur, ac singu-  
 larem illam , in qua confidis , miseri-  
 cordiam subtrahente provenirent ?



## MEDITATIO III. MORS EST INITIUM ÆTER- NITATIS.

**S**icut mors est finis temporis, ita eadem est initium æternitatis : *ibit homo in domum æternitatis suæ*, Spiritus Sanctus apud Ecclesiasten testatur. Sicut igitur in præcedente meditatione mortem, tanquam finem temporis, consideravimus, ita illam nobis in præsenti, tanquam initium æternitatis, proponemus. Hanc veritatem ut tanto majore cum fructu perpendamus, & salutares ex ea sequelas eruamus, imaginemur nobis animam hoc ipso momento a corpore separatam, & inter mortem, ac judicium velut medium, hæc tria sibi quæsita, quæ totidem erunt meditationis puncta, proponentem : *unde venio?* *ubi sum?* *quo vado?* juxta illud Bernardi monitum : *cogita,* *unde veneris,* & erubesce : *ubi sis,* & *ingemisce :* *quo vadis,* & *contremisce.*

PUNCTUM I.

**C**ogita, te adstare lecto hominis dicitis, honorati, ab omnibus amati, qui vitam inter mundi voluptates, & gaudia per aliquot annos hilariter ætam hoc ipso momento clausit, & animam e corpore egressam, quasi e diuturno, cui immersa erat, somno repente excitatam, dum rerum omnium faciem conversam videt, dum se solam, sine comitatu, sine amicis, sine opibus, & bonis temporalibus, sine corpore, in terra peregrina, & ignota constitutam conspicit, attonitam, stupentem, ac timoris plenam, tantisper subsistentem tibi repræsenta: audi de illa dicentem Job: *cum dormierit, aperiet oculos.* - Considera igitur, dum hæc anima in ipso æternitatis ingressu oculos suos aperit, & ablato corporis velo, se, suaque omnia clarissima in luce sibi proponi videt, quales in illa sensus ex hoc, uti novo, ita verissimo rerum omnium conspectu oriantur. *Unde venio?* reflexo impensis ad corpus suum, & viam, per quam venit, obtutu, semet ipsam tremens,



mens, & attonita interrogat : *unde venio?* - Ah ! respondet, non fallor utique, non somniavi, non somnio : venio ex corpore, cui, tanquam fido, & unice a me amato domicilio, per annos aliquot inclusa, felix mihi, & contenta videbar vivere : venio ex mundo, cujus bona & abundanter habui, &, quidquid ex iis desideraverant oculi mei, non negavi eis : venio ex tempore, cujus ne me flos præteriret, solicite curavi. - Sed quæ hæc repentina rerum omnium conversio ? sine sensu jacet corpus, & mihi ultra non obsequitur : evanuerunt mundi bona : tempus transiit, & *dies mei, sicut umbra, declinaverunt.* - Ah ! ubi estis amici ? ubi opes ? ubi voluptates, honores, gaudia ? quomodo me repente in terra deserta, invia, & inaquosa solam deprehendo ? ah ! ut video, velut somnium surgentium, ita imago horum omnium ad nihilum redacta est : ut video, adsunt dies multi, qui, ut prædictum Sapiens, *cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Quidquid ex via, per quam veni, quæro, fugit, & ego ad nihilum redacta sum, & nescivi.

Sed

Sed qualis mihi repente nova lux  
 exoritur ? qualem me ipsam video ?  
 quam longe alia rerum , quas in mun-  
 do amaveram , mihi species exhibetur ?  
 O Mors ! quales mihi aperuisti oculos ,  
 dum corporeos clausisti ? - Heu me  
 miseram ! qualis confusio faciem meam  
 operit , dum hinc quidem originem ,  
 dignitatem , finemque meum video :  
 inde vero , quomodo egressus sit a me  
 omnis decor meus , & quam vilis facta  
 sim , agnosco : - o ! quam bene in me  
 convenit illud Jobi vaticinium : *ani-*  
*ma illius super semet ipso lugebit.* - Ego  
 a DEO ad imaginem suam creata non  
 ad alium finem , quam ut DEO serviam ,  
 illoque æternum fruar : ego ad hunc  
 finem obtainendum tot , tantisque in-  
 structa mediis , o ! quam ardenter huic  
 unico fini meo conjungi nunc deside-  
 ro : ah ! *Domine !* cum Augustino cla-  
 mo , *fecisti me ad te ;* & *inquietum est cor*  
*meum , donec requiescat in te :* o ! quam  
 clara in luce agnosco , quidquid extra  
 hunc finem occurrit , esse vanitates ,  
 & insanias falsas , lutum , & stercorea :  
 hoc fine si non potiar , utinam non es-  
 sem , & non fuisset . - Sed heu me !

quam

quam funestam mihi scenam Mors !  
aperis , dum totam vitæ a me actæ  
seriem ante oculos meos ponis. Unde  
venio ? quales sunt viæ meæ ? quæ ve-  
stigia pedum meorum ? ah ! quid vi-  
deo ? inquinatæ sunt viæ meæ in omni  
tempore. Sordes in pedibus meis , cum  
Jeremia clamare cogor : nec recordata  
sum finis mei. Quidquid in omnibus vi-  
tæ meæ annis video, luctus, & podo-  
ris argumentum mihi præbet.

Unde venio ? - ah ! quid dicam ?  
quid respondere potero ? - Lassata sum  
in via iniquitatis , ambulavi vias difficiles :  
viam autem Domini ignoravi. Dies pere-  
grinationis vitæ meæ pauci , & mali : fu-  
gerunt , & non viderunt bonum. Inquina-  
tæ sunt viæ meæ in omni tempore, in omni  
tempore. - Vix primos pueritiæ annos  
egressa , Deum , qui me genuit, dereliqui,  
& oblita sum Domini Creatoris mei. - Ju-  
venilis ardor, Parentum amor, Mode-  
ratorum indulgentia , prava sociorum  
exempla, & perversa, quæ tenero ani-  
mo instillarunt , dictamina heu ! quo  
me tunc jam præcipitem egerunt.  
O ! cur ista tunc non vidi, quæ nunc  
video ? cur originem , dignitatem , fi-  
nem-

nemque meum ignoravi ? - Sed quomo-  
do non vidi ? quomodo ignorare  
potui ? an non hæc omnia me fides  
docuit ? an non interna DEI vox ad  
cordis mei ostium pulsavit toties ? an  
non remorsus ille , quem post peccata  
sensi , an non pudor ille , quo initio  
suffusa me ipsam erubui , an non ea  
ipsa , quam inter mundi voluptates , &  
gaudia toties experta sum , amaritudo ,  
& fastidium mihi dixit , majorem me  
esse , & ad majora factam , quam ut  
corpori , mundoque serviam , quam ut  
brevibus , & vanis mundi bonis satiari  
possim ? an non dixerunt mihi omnia ,  
*malum , & amarum esse derelinquere Domi-*  
*num Deum meum , & non esse timorem ejus*  
*apud me ? O ! cur hæc non intellexi ?*  
*cur ad has voces obsurdui ? quis me*  
*fascinavit non obedire veritati ? o liber-*  
*tatis amor ! o vanitates , & insaniæ*  
*falsæ ! o libertina mundi principia !*  
quale meis oculis velum obduxistis ,  
ut post vestigia gregum abiens a via  
veritatis tam longe aberrarem ? - Sic  
adolescentia , sic juventus aëta est : *in-*  
*quinatæ sunt viæ meæ in omni tempore .* -  
*O ! quem fructum habui tunc in illis , in*



quibus nunc erubesco, & quorum finis mors  
est? transferunt omnia, tanquam umbra,  
& tanquam navis, quæ pertransit fluctuan-  
tem aquam, cuius, cum præterierit, non est  
vestigium invenire.

O! si virilis ætas, o! si sene~~c~~tus  
melior fuisset. - Sed experta sum,  
proh! dolor! quam vere Sapiens di-  
xerit: *adolescens juxta viam suam, etiam*  
*cum senuerit, non recedet ab ea.* Ah! in-  
quinatæ sunt viæ meæ in omni tempore.  
O! quantus meus tunc in fide languor,  
quantus mundi, & voluptatum amor,  
quantum opum, honorum, commodi-  
tatum studium, quanta finis mei ob-  
livio, quantus salutis neglectus. - Ah!  
quam corrupta, & abominabilis facta  
sum in studiis meis: adstisti omni viæ  
non bonæ: malitiam autem non odi-  
vi: solam viam Domini ignoravi, &  
ignorare volui. Hæc omnis vitæ meæ  
series: corpus meum, mundum, vani-  
tates, & insanias falsas dilexi, quæ-  
sivi, & non dimisi, donec illa me  
dimiserint. Hæc inter multiplicatæ  
sunt super capillos capitis mei ini-  
quitates meæ, & non potui, ut vide-  
rem: dies mei velociores fuerunt cur-  
sore:

sore : fugerunt , & non viderunt bonum. - Ah ! unde venio ? unde venio ? - Nunc , cum dormivi , aperio oculos , & nihil invenio. - Quid nunc habeo de universo labore meo , quo labo- ravi sub Sole ? quid mihi profuerunt omnia ? quid mecum abstuli de labore meo ? - nihil : - transierunt omnia , nec est vestigium invenire. - *Unde venio ?* - Ah ! cum in honore essem , non intellexi : comparata sum jumen- tis insipientibus , & similis facta sum illis : quæ nutriebar in croceis , am- plexata sum stercore , & nunc venio , tanquam sus lota , ex volutabro luti : egressus est a me omnis decor meus : fordes in pedibus meis , nec recordata sum finis mei : *inquinatæ sunt viæ meæ in omni tempore , in omni tempore.* - O ! quam vere dixisti Job ! *anima illius super semet ipso lugebit.* - Ah ! vile cor- pus meum ! cur te sic amavi ? cur ti- bi obsecuta sum ? ah ! fallax monde ! cur tibi credidi ? cur vanitates tuas , & insanias falsas non vidi ? O Mors ! bonum est judicium tuum. - Cum dor- mivi , aperio oculos , & , unde ve- nerim , video : sed heu ! me miseram !



quem fructum habui in illis , in quibus nunc erubesco ?

## PUNCTUM II.

**C**onsidera nunc eandem animam , postquam de præterita sua vita tantopere erubuit , avulsos inde oculos confusione , ac pudore plenos in præsentem suum statum conjicientem , & se ipsam , ubi sit , interrogantem . Ah ! in quos gemitus , in quæ lamenta prorumpentem audio : nunc experitur misera , quam verum sit , quod Augustinus prædixit : videbis te , & planges te , & non erit tunc , quando corrigas te . - Ah ! nunc multo etiam magis , quam prius , anima illius super semet ipso lugebit . - *Ubi sum ? ah ! ubi sum ?* exclamat anxia : qualis hæc terra tenebrosa , & operta mortis caligine ? quomodo posita sum in invio , & non in via ? qualis mihi porta panditur ? quem ante me abyssum video , quæ finem , ac terminum non habet ? - *Ubi sum ? ah ! porta , ad quam consisto , porta æternitatis est :* per hanc portam , velim , nolim , ingredi nunc debeo ,

beo, & viam, per quam non revertar,  
ambulare: *ibit homo in domum æternita-*  
*tis suæ.* - Pro tam longa, & ignota  
via qualiter comparata, & instruēta ad-  
venio? quale mecum adfero viaticum?  
qualem habeo commeatum? - Solam,  
nudam, & ab omnibus derelictam me  
video; opes, & bona temporalia, quæ  
habui, mecum auferre non potui, ne-  
que in hac terra, quam ingredior,  
prodeſſe mihi poſſunt: honores, digni-  
tates, plausus, ac favores hominum  
vapor erant ad modicum parens, quo-  
rum nullum iſthic eſt pretium, nulla ra-  
tio habetur: amici, & familiares ſocii  
me nunc comitari renuunt: & quid  
ex eorum comitatu ſolatii, quid utili-  
tatis haberem? - quocunque me ver-  
to, nihil me habere video: dormivi  
ſomnum meum, & nihil invenio in  
manibus meis. - Quid agam? unde  
nunc viaticum, & commeatum petam?  
ſine his longum, & ignotum in do-  
mum æternitatis iter quomodo ingre-  
diar? quanto in periculo versarer?  
leo rugiens eſt in hac via, qui circuit  
quærens, quem devoret: hujus inſi-  
dias rebus necessariis non instruēta

quomodo evadam? - O beatæ patriæ  
**cives**! qui hanc viam securi pertrans-  
 istis, mihi nunc succurrite: o Sancte  
**Angele**! cui Deus mandavit de me,  
 ut custodias me in omnibus viis meis,  
 nunc tempus est, ut gressus meos in  
 semitam rectam dirigas propter inimi-  
 cos meos: o misericordiæ Mater! tu  
 mihi dexteram porrige, & te Matrem  
 esse monstra: tu si opem tuleris, nihil  
 est, quod metuam: per hanc æter-  
 nitatis portam secura transibo. - Sed  
 quid hoc est? nemo me horum audit,  
 nemo, qui juvare velit, conspicitur. -  
 Ah! quid erit? quomodo ignotum  
 hoc, & plenum periculis iter tuta, &  
 sine metu pertransibo?

Verum audio vocem Apocalypti-  
 ci Angeli clamantem, & dicentem:  
*opera illorum sequuntur illos.* - O vox!  
 quid mihi funesti intonas? Opera igi-  
 tur mea huc sequuntur me? hæc sola  
 in hoc æternitatis aditu meus sunt co-  
 mitatus? hæc commeatus, & viati-  
 cum? - Ah! ubi estis opera mea?  
 qualem mihi in hoc itinere securita-  
 tem promittitis, & præstatis? qualia  
 estis opera manuum mearum? an in

vobis confidere tuto possum, & vobis-  
 cum me huic itineri committere ? an  
 vos inveniam plena coram DEO meo ?  
 quid pro cœlo, pro seculo ad domum  
 æternitatis ingressu egi ? quæ pietatis,  
 Divini obsequii, misericordiæ, & alia-  
 rum virtutum opera mecum adfero ? -  
 Quid, si de me nunc dici deberet : *in-*  
*operibus manuum suarum comprehensus est*  
*peccator* ? quid, si inter eos essem, de  
 quibus Joannes ait : *erant mala eorum*  
*opera* ? - Ah ! qualia sunt opera mea,  
 quæ sequuntur me ? quid in adolescen-  
 tia, quid in juventute, quid in ætate  
 virili, quid in senectute boni egi ? -  
 Heu me ! si totam meam vitam in me-  
 moriam revoco, *dormivi somnum meum,*  
*& nihil invenio in manibus meis.* - *Cum*  
*dormivi, aperio oculos, & nihil invenio.* -  
*Inquinatæ sunt viæ meæ in omni tempore.* -  
 Pro mundo, pro obtainendis tempora-  
 libus bonis, honoribus, plausibus, vo-  
 luptatibus, commodis quid non egi ?  
 lassata sum, sudavi, alsi : operum mun-  
 di, & carnis o ! quanta me turba se-  
 quitur : bonorum operum nihil inve-  
 nio in manibus meis : *venit mibi, quasi*  
*cursus, egestas, & paupertas, quasi vir ar-*



matus. - O ! quam bene Sapiens monuit : *in fine hominis denudatio operum illius* : qualem igitur opera mea nunc mihi securitatem pollicentur ? - Sed nunquid sub vitæ finem egi pœnitentiam ? nunquid in ultimis tabulis eleemosynas post mortem meam in pauperes erogari jussi ? hæc mihi opera nihilne spei adferunt ? nihilne præstant securitatis ? - Ah ! an hæc mea in morte æta pœnitentia vera fuerit , an ego peccata, vel illa me dimiserint, an pœnitentia mea omnes ad eam requisitas conditiones habuerit, an eleemosynas , & misericordiæ opera ex bonis non amplius meis , & a me necessario deserendis fieri jussa DEUS a me acceptaverit , nescio : nemo me de his securum reddit : *omnia, ut ait Sapiens, in futurum servantur incerta.* - Ah ! cum tanta incertitudine in æternitatis domum intrare nequeo : tam manifesto me periculo exponere non possum.

Quid igitur agam ? - O ! in hoc ipso æternitatis limine bona opera faciam : his momentis ad securitatem meam utar : a pœnitentia incipiam : nunc , nunc illam agam. - Sed quid hoc ?

hoc? audio jurantem Angelum: tempus non erit amplius: audio dicentem Christum: venit nox, quando nemo potest operari: audio Augustinum: videbis te, & planges te, & non erit tunc, quando corrigas te. - Ah! quid nunc agam? aruit, tanquam testa, virtus mea. Dies mei, sicut umbra, declinaverunt, & ego, tanquam fenum, arui. Infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere. - Quid agam? pœnitentia! ubi es? non te invenio: ubi sum? - quid pigræ hæretis manus, & operari recusatis? - Scio, quid agam: revertar in domum meam, unde exivi: redibo ad corpus: ibi pœnitentiam agere incipiam: huic corpori meo, cui servivi prius, jam ex nunc imperabo, ejus opera maligna destruam: quantum in deliciis fuit, tantum illi dabo tormenti, & luctus: faciam mibi amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defecero in via, recipiant me in æterna tabernacula: vitam posthac omnem in bonorum operum exercitio transfigam, & sic ad hanc æternitatis portam redibo secura; opera enim mea sequentur me. Nunc, nunc redeo ad corpus. - Sed heu me

miseram ! clausa est janua : qui habet claves mortis , clausit , & nemo aperit . Completi sunt dies mei : & non est reversio finis mei . Statutum est hominibus semel ( o terribilem veritatem ) tantum semel mori . - O Cypriane ! quam verum est , quod ais : o ! si redivivum pœnitentiae tempus mereri potuisset , quam duræ conversationis iter arriperet , qualia , & quanta promitteret . Sed ætum est : redire nequeo : per æternitatis portam cogor ingredi : & quo ? - heu me ! quo vado ?

### PUNCTUM III.

**A**udisti postremam animæ in æternitatis limine constitutæ quæstionem : nunc , quid ad hanc quæstionem sibi respondeat , attende . - Ah ! exclamat , timor , & tremor venerunt super me , & contexerunt me tenebræ . - Quod ante me positum video , est , ut ait Paulus , terribilis quædam expectatio iudicii . - Jam audio clamantem Angelum : veni ad judicium : jam ante januam assistit Iudex : jam accusator adest : jam terroris plena vox in auribus meis intonat : redde rationem villicationis tuæ ;

jam

\* \* \*

jam enim ultra non poteris villicare : rede rationem. - Ah ! Domine ! patientiam babe mecum , & non intres in judicium cum servo tuo : verebar omnia opera mea , sciens , quod non parceres delinquenti . O ! terribilis expectatio judicii ! o ! quam borrendum est incidere in manus Dei viventis . - Quid nunc erit ? vae mihi ! quid erit ? quo vado ? o plena terroris cogitatio ! - Vado ad judicium : hic , qui ante januam assistit Judex , etiam justicias judicabit : arguet me , & statuet contra faciem meam , & reddet mibi secundum opera mea : in hoc judicio recipiam , prout gessi in corpore , sive bonum , sive malum : in hoc judicio ex operibus meis de me feretur sententia justissima , immutabilis , æterna . O ! terribilis expectatio judicii ! - Quid sum miser nunc dicturus , quem patronum rogaturus , cum vix justus sit securus ? - quid faciam in hac die visitationis , & calamitatis ? ad cuius configiam auxilium ?

Vado ad judicium : & ad hoc judicium opera mea sequuntur me : ipsa testimonium contra me perhibebunt , quod negare non potero . - In hoc judicio appendar in statera justa : hic omnes cogi-

cogitationes , verba , opera mea , hic ipsa , quam ad mortem distuli , & tunc solum egi , pœnitentia *statera* ponderabitur : quid si *inventa* fuerit minus habens ? - hic apparebit , quam mendas sint filii hominum in *stateris* . - Vado ad judicium . - In hoc judicio mihi proponentur omnes veritates , quas per fidei lumen agnovi , & agnoscere debui : hic rationem cogar reddere omnium gratiarum , quas accepi , omnium mediorum , quæ ad salutem meam in tuto collocandam habui , omnium luminum , & inspirationum , quibus me ad agendam in tempore opportuno pœnitentiam toties incitari sensi . - De his omnibus *cum quæsierit* Judex , quid dicam , aut *quid respondebo ei* ? - In hoc judicio arguar , & statuar contra faciem meam : hic apparebit libertinorum , quæ mihi feci , dictaminum falsitas : hic confundentur *excusationes in peccatis* : hic vanitatis arguentur *præterita* : hic , quam bonum sit o Mors ! judicium tuum , patebit . - Vado ad judicium . - In hoc judicio , *quidquid latet* , apparebit , nil inultum remanebit . - O ! terribilis expectatio judicii !

Quo

Quo vado ? hei mihi miseræ ! ante  
 januam assistit Judex : ah ! qualis Ju-  
 dex ? - omniscius, omnipotens, justis-  
 simus , qui excusationes non accipit,  
 nec muneribus placatur. - Hic Judex  
 a me totius vitæ meæ rationem repe-  
 tet : quid respondebo illi ? - hic me ar-  
 guet, & statuet contra faciem meam :  
 hic totius vitæ meæ peccata ante ocu-  
 los meos ponet , dicens : bæc fecisti ,  
 & tacui : projecisti me post corpus tuum :  
 dixisti : non serviam : dixisti in corde tuo :  
 non videt Dominus me : non requiret. -  
 Hic Judex mihi dicet : quoties volui con-  
 gregare te , quicmadmodum gallina congre-  
 gat pullos suos sub alas , & noluisti : voca-  
 vi , & renuisti : dissimulavi peccata tua  
 propter pœnitentiam , & non egisti , aut  
 eam ad mortem usque distulisti. - Ah !  
 quis non timebit te Domine ! quia solus  
 pius es ? - Ante januam assistit Judex ,  
 ignorans veniam , & nesciens misericordiam :  
 ante hunc Judicem in operibus manuum  
 mearum comprehensus quid agam ? - o Di-  
 vine Judex ! ubi me abscondam a vultu iræ  
 tuæ ? - qua fronte te videobo ? - scio , quod  
 non parces delinquenti. - O ! terribilis ex-  
 pectatio judicii !

Quo

*Quo vado? - o terrible in auribus  
meis fulmen ! vado ad judicium. In  
hoc judicio secundum opera mea fe-  
retur sententia, qua accepta ibo in do-  
mum æternitatis meæ. - Sed qualis hæc  
erit sententia? qualis mihi domus æter-  
nitatis obtinget? - Ah! omnia in futu-  
rum servantur incerta. - O! incertitudo  
timoris plena! o terribilis expectatio ju-  
dicii! o sententia! quæ sortem meam  
pro tota æternitate decidet. - - Sed  
jam vado: jam me Judex vocat: jam  
accusator incipit: jam Judicis vultum  
video: jam ad proferendam senten-  
tiam os aperit: hei mihi! succurrite!  
periclitator in æternum perire. - - -*

*Ah! Divinissime Judex! scio,  
quia morti trades me, ubi constitu-  
ta est domus omni viventi: ibo per  
portam mortis in domum æternitatis  
meæ: meæ, inquam, quia tu reddes  
unicuique secundum opera ejus. - O! si  
tunc nihil invenirem in manibus meis:  
si tunc opera mea non invenirentur  
plena coram te, - quid agerem? ad  
cujus confugerem auxilium? ubi me  
absconderem a vultu iræ tuæ? - Ah!  
Domine! scio, quia prope, & forsitan  
mi-*

mihi jam in januis es : si nunc me vo-  
 cares ad judicium , quomodo ante te  
 consisterem ? si nunc in æternitatis  
 meæ domum eundum mihi esset, quam  
 terribilis expectatio judicii me mane-  
 ret ? - Fateor enim coram te mi DEUS !  
 si vitam meam præteritam considerem,  
 inquinatæ sunt viæ meæ in omni tem-  
 pore : si sic æternitatis iter ingrede-  
 rer, viderem me, & plangerem me :  
 sed non esset tunc , quando corrige-  
 rem me : si sic ante te comparerem ,  
 anima mea super memet ipso lugeret,  
 & æternum lugeret. - Sed nunc Do-  
 mine ! nunc tempus est, quando cor-  
 rigam me : nunc dies est, quando ope-  
 rari me jubes : nunc est tempus ac-  
 ceptabile, nunc sunt dies salutis. Nunc  
 igitur audiam Chrysologum me monen-  
 tem : *præcurrat pœnitentia, ne præcurrat*  
*sententia : nunc audiam, & sequar Sa-*  
*pientis monitum : ante obitum tuum ope-*  
*reare justitiam : quoniam non est apud in-*  
*feros invenire cibum : nunc bonum mor-*  
*tis judicium in omnibus operibus meis*  
*sedulo exquiram , & hanc veritatem*  
*menti meæ alte imprimam : Mors est*  
*initium æternitatis : igitur, quæ homo*  
nunc

curatius expendere operæ pretium est.  
Hanc itaque pessimam peccatorum  
mortem præsens meditatio proponet.  
Tria erunt meditationis puncta, quæ  
totidem peculiaria hujus mortis ad-  
juncta complectentur. *Mors peccatorum*  
*pessima*: 1. quia peccatoribus mors sem-  
per est violenta: 2. quia illorum mors  
est mors horrida: 3. quia eorum mors  
est mors æterna.

## PUNCTUM I.

**U**t pessimas hujus mortis conditio-  
nes tanto clarius nobis propona-  
mus, conferamus nos ad lectum inve-  
terati, & indurati peccatoris, cui hoc  
momento accersitus clam a domesticis  
Sacerdos post multas verborum amba-  
ges, e quibus nihil intelligere voluit,  
inexpectatum vicinæ mortis nuncium  
attulit, eique apertis demum verbis  
dixit: *dispone domui tuæ: quia morieris*  
*tu, & non vives.* - O ! qualis ad has vo-  
ces in ejus vultu turatio, qualis re-  
pente clamor exoritur. Audio miser-  
rum collectis, quantum potest, viri-  
bus, & lamentabili voce identidem in-

F gemi-



geminantem : siccine separas amara mors ?  
siccine separas amara mors ? - quidquid  
hortetur , quidquid spei , ac solatii in-  
gerere Sacerdos conetur , aliud ex ejus  
ore verbum elicere non potest , quam  
hoc unicum : siccine separas amara mors ? -  
**H**as inter voces in omnem partem se  
vertit anxius , in lecto se huc , illuc  
que projicit , nunc importunum moni-  
torem a se jubet faceffere , nunc , ni-  
hilne spei supersit , aut remedii , soli-  
citudine , metuque plenus interrogat ,  
nunc adstantes torvis intuetur oculis ,  
nunc flet , nunc stridet dentibus , nunc  
in maledicta contra DEUM , Sacerdo-  
tem , Medicos erumpit . - Qui lecto  
assistunt , haerent attoniti , nemo vel  
mutire audet , insanire hominem cre-  
dunt , & , ne hac ejus rabie augeatur  
morbus , ac mors ipsa acceleretur , non  
immerito timent . - **B**one Sacerdos !  
tacuisses potius ; nam hic quidem , ut  
video , verba sine fructu perdidisti :  
rem magnam feceris , si , quam moni-  
tione tua concitasti , tempestatem se-  
daveris . **E**n ! jam æger rursum furo-  
re plenos oculos in te conjicit , & ad  
adstantes conversus : ejicite , ait , a me  
im-

importunum hominem : tali monitore non egeo, &, si quidem pacatum me vultis , prohibete sedulo , ne quis ex hoc hominum genere pedem huc post-hac inferat. Sacerdos hominis furori nunc cedendum prudenter existimat , postquam ira deferbuerit, & æger ipse periculum agnoverit, redeundi , & miserae huic animæ succurrendi occasiōnem sibi non defuturam sperat : interea mœstus , ac silens Divinam pro infelici homine misericordiam imploraturus discedit.

Egresso Sacerdote æger jam aliquanto pacatior , an abiverit , circumstantes interrogat , & illis annuentibus : audistis , ait , temeritatem hominis , qui a nemine vocatus huc irruit , ut me funesto mortis nuncio terreret ? infirmitas hæc non est ad mortem : nondum in ea sum ætate , ut de morte cogitare debeam : adhuc robustæ sunt vires : mundo , bonisque meis diutius frui certum est : non parcā sumptibus , ut sanitatem per medicamenta recuperem : melius expendi pecuniæ non possunt , quam si illis diurniorē bonorum meorum usum mihi

F 2 emam:

emam : cum tot mediis non moriar,  
sed per plures adhuc annos vivam. --  
Ah ! miser ! quam inani spe te ipsum  
laetas , & decipis. Quantumcunque  
tibi de longiore vita blandiaris, quan-  
toscunque ad evitandam mortem sum-  
ptus facere constituas, ad te nunc per-  
tinet , quod in Psalmis scriptum est :  
*cum viderit sapientes morientes, simul in-  
sipiens, & stultus peribunt : relinquunt alien-  
nis divitias suas, & sepulcra eorum domus  
illorum in æternum : implebitur in te,*  
quod ait Chrysostomus : quando animæ  
peccatrices delectantur in corpore, & tan-  
quam in suo proprio domicilio gaudent,  
veniens cum sententia Dei Angelus mortis  
perfodit corpus , & animam violenter di-  
vellit ab eo.

Ubi præsentes hanc ægri fidu-  
ciam , & inanem diuturnioris vitæ  
spem tristes , & stupentes vident , eo-  
rum unus ægro familiarior initio Sa-  
cerdotis factum modestis verbis excu-  
fare incipit , & , quam sincero salutis  
ægri in tuto collocandæ potius , quam  
intempestivi terroris incutiendi studio  
id egerit, ostendere : tum ipse ad pro-  
ponendum ægro non jam dubium, sed  
mani-

manifestum instantis mortis periculum  
 sensim, quanta potest, lenitate ingre-  
 ditur, atque, ut Sacerdotem revocet,  
 & animæ suæ rationes cum illo tem-  
 pestive componat, hortatur. Sed sur-  
 do fabula canitur : non vult intellige-  
 re, quia non vult mori. O ! ait, quam  
 estis meticulosi : nondum est tantum  
 periculum : ego, quomodo me habeam,  
 melius sentio : ex hoc morbo conva-  
 lescam, ne dubitate, post paucos dies  
 evanescet periculum : sola mihi quiete  
 opus est, quam vos eripitis, dum in-  
 tempestivo metu periculum, quod nus-  
 quam est, fingitis, & vicinam meam  
 mortem somniare non cessatis. - Suc-  
 cedunt alii, monent, rogan, instant,  
 ut, si etiam tam vicinum esse pericu-  
 lum non credat, confiteri tamen pec-  
 cata sua velit, & Sanctissimum Eucha-  
 ristiae Sacramentum suscipere, hæc  
 ipsa Sacraenta ad recuperandam cor-  
 poris valetudinem non parum profu-  
 tura. - O ! ait, quid dicturi essent ho-  
 mines ? qualis fieret in civitate clamor ?  
 jam me depositum, jam post paucos  
 dies moriturum clamarent, jam meis  
 inhiarent bonis aliqui, alii de obven-



turis sibi ex morte mea , nescio , qui-  
bus commodis gauderent . Non mor-  
riar : ætas , & vires meæ longiorem  
mihi pollicentur vitam , bona , & ami-  
cos meos tam cito deserere non pos-  
sum , nec volo . - Si de animæ salute  
soliciti monitores urgere pergent , aut  
irascitur , aut averso vultu responsum  
non reddit : audire monita renuit , quia  
mori non vult .

Ita dies ex die trahitur , invalescit  
**morbus** , vires deficiunt , & æger ipse  
in eo se jam statu esse videt , ut immi-  
nere sibi mortem sentiat , & de recu-  
peranda valetudine desperet . - Hic  
enimvero manifeste apparet , quam ve-  
re Sapiens dixerit : *o mors ! quam ama-  
ra est memoria tua homini pacem habenti in  
possessionibus suis.* O ! qualis repente ti-  
mor , tristitia , desperatio miseri homi-  
nis animum occupat , in quos singul-  
tus , lamenta , lacrymas erumpit , quam  
mœstis oculis circumstantes aspicit ,  
quam lamentabili voce eorum opem  
implorat . Ah ! exclamat , in hac æta-  
te , in hoc virium robore , in hac re-  
rum omnium abundantia mori debeo ?  
mundum , amicos , bona , voluptates ,

gau-

gaudia deserere, & ad triste sepulcrum  
 commigrare? - ah! si quæ in vobis  
 est pietas, succurrite, agite, cogitate,  
 nihilne remedii suppetat: agam, patiar  
 omnia, quantumcunque amara præbe-  
 te pharmaca, secate, urite, nihil de-  
 trectabo, nihil subire renuam, modo  
 me huic eripiatis periculo, & sanitati  
 restituatis: facite vota, pias peregri-  
 nationes promittite, erogate in paupe-  
 res eleemosynas, preces, sacrificia  
 pro me curate, libenter suppeditabo  
 sumptus, omnia faciam, modo mor-  
 tem evadam: mori timeo, non pos-  
 sum, non volo. Quantumcunque ad-  
 stantes conentur ejus animum erigere,  
 quantumcunque hortentur, ut Divinæ  
 voluntati se subjiciat, in infinita DEI  
 misericordia reponat fiduciam, hanc  
 sibi propitiam reddat, & mortem non  
 timeat, incassum omnia: flet, lamen-  
 tatur, luget, vicinæ mortis metus sola-  
 tium omne respuit, & aliam, quam  
 de servanda diutius vita, cogitationem  
 non admittit. Nempe, ut ait Chryso-  
 stomus, *mori timet, qui non sperat vive-  
 re post mortem.* - - O mors! cum Sa-  
 piente repeto, quam amara est memoria



*tua homini pacem babenti in possessionibus suis. - Ah ! mors peccatorum pessima : quia mors peccatoribus semper est violenta.*

## PUNCTUM II.

**I**n hoc rerum statu, & crescente semper magis, magisque periculo revo-  
catur Sacerdos. Ad ejus conspectum suspirat æger, novo timore corripitur,  
& in omnem partem anxie se versat : ah ! funeste Propheta ! ad Sacerdotem  
conversus ait , tu mihi primus tristem  
tulisti mortis nuncium , quem verum  
fuisse nunc, proh dolor ! video : o ! uti-  
nam te nunquam vidisse : terrere no-  
sti : adfer nunc etiam, si potes, reme-  
dium. - Sacerdos solari hominem, &  
ad fiduciam erigere incipit, atque, ut  
sinceram peccatorum suorum confes-  
sionem facere , seque ad mortem pie  
obeundam comparare velit , suadet :  
ad eam rem omnem suam operam ,  
& auxilium pollicetur. Sed ab ægro  
præter suspiria, singultus, lacrymas eli-  
cere nil potest : nunc debilitatem cau-  
satur, nunc se dormire fingit, nunc alia

præ-

prætendit negotia , & necessarias circa bona temporalia dispositiones , ut adeo Sacerdoti occasionem omnem eripiat de rebus animæ aliquid serio tractandi. Quotiescunque Sacerdos his de rebus vel verbum profert , quotiescunque confessionis fit mentio , toties nova in ægri vultu apparet turbatio , toties novus in eo tremor cernitur , toties ipsa vox occulta quadam vi præcludi videtur. Si de rebus terrenis sermonem quis inferat , respirat illico , & velut e profundo excitatus somno , sibiique redditus ad omnia respondet. - Sacerdos , ubi se deludi , & tempus frustra teri videt , rem tandem serio aggreditur , & circumstantes cubiculo excedere jubet , ut cum ægro liberius agendi occasionem nanciscatur. Egressis omnibus , & clausa cubiculi janua , vicinæ mortis , & æternæ damnationis periculum ægro verbis , quam potest , efficacissimis proponit , unicum hoc se discrimine expediendi medium sinceram peccatorum confessionem , & verum de illis dolorem esse docet , atque , ut ægri animum ad fiduciam erigat , allatis Sa-



erarum Literarum testimo*niis*, infinitam DEI erga peccatores vere pœnitentes misericordiam prolix*e* commen-dat: verum ab ægro præter unum, alterumve suspirium verbum nullum extorquet: totus interea vultus internam luctam, animi angustias, & timores manifeste prodit.

Itaque Sacerdos ipse confessionem incipit, & ægrum, quando ultimam confessionem peregerit, interrogat. Æger id se non satis meminisse respon-det; per plures enim annos se confessione penitus abstinuisse. Causam rogatus varios prætextus adfert, e quibus Sacerdos non obscure colligit, ægrum ex eorum fuisse numero, qui de immortalitate animæ, & alterius vitæ statu aut non recte sentiunt, aut terrenis immersi curis de futura vita nunquam cogitant. Instat igitur, & an nulos in animo remorsus, nulos ad peragendam confessionem stimulos, nullum æternarum pœnarum metum intus senserit, requirit. Initio se quidem ista sensisse reponit æger: post aliquod tamen tempus metum omnem, ac remorsum penitus evanuisse. Ur-

get

get Sacerdos, anne alios nunc de his rebus in animo suo sensus habeat, an non vicinæ mortis, & pœnarum metum in se vel invitus experiatur. Æger responsi loco tremit, suspirat, & inquietus in omnem partem se versat. - Ah ! Jeremiæ vaticinium impletum video : *in novissimo dierum intelligetis.* - Urgente responsum Sacerdote, tandem perturbatione plenus ait : quid vis ? Pater ! quid me torques ? errasse me video : sed jam est tarde. - Tum terrifico vultu ad Sacerdotem conversus : nunc experior, ait, quid sit mori : nunc, quem finem talis vita, qualem ego duxi, habeat, manifeste video. O ! qualis horror me invadit, dum vitæ meæ annos in mentem revoco, & constitutum mihi terminum, quem præterire non potero, immicare conspicio. *Torrentes iniquitatis turbaverunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* Quidquid obversatur oculis, quidquid menti occurrit, horrem, formidinem, desperationem mihi adfert. Audi me tantisper : angustiæ, quas in animo patior, &, nescio, quæ interna vis, cui resistere nequeo,



me cogunt, ut omnem tibi statum  
meum vel invitus aperiam: non, quod  
a te juvari me posse credam, aut ju-  
vari desiderem; de me enim, & sa-  
lute mea aetum jam est: sed, quia pro  
aliorum fortassis bono Deus loqui me  
cogit. Audi igitur, & exhorre.

Vita mea omnis in peccatis acta  
est: vix peccare incepi, jam peccan-  
di habitum, & consuetudinem contra-  
xi, quam ad hunc usque morbum non  
amplius dimisi. Quidquid fere turpi-  
tudinum imaginari tibi potes, a me per-  
petratum esse scito, atque sic perpe-  
tratum, ut in consuetudinem deduce-  
retur. De his peccatis initio quidem,  
ut ante dixi, vehementes saepe remor-  
sus habui, quos ut soparem, peccata  
mea aliquoties confessus sum, nunquam  
tamen sincere de illis dolui, nunquam  
ea dimittendi propositum concepi. In-  
tra hoc tempus in Confessarium inci-  
di, qui internum meum statum accu-  
ratius perscrutatus, quo loco res ani-  
mæ meæ sint, nervosis mihi verbis  
proposuit, & de dolore, ac proposito  
meo vehementer dubitare se affirmans,  
absolutionem tum negavit, atque im-  
posi-

posita ad tempus aliquod salutari , ac medicinali pœnitentia , post unam , alteramve hebdomadam ad se redire me jussit , alia præterea media non sine prævia adhortatione sugerens , quibus contra relapsum in peccata præmuni re me possem . Quod saluti esse debuerat , in rabiem me egit : ab eo tempore confessione prorsus abstinere constitui , & neglecta imposta pœnitentia , neglectis , quæ præscripta erant , mediis , in omnia scelera me dare præcipitem , frœnum omne laxare cupiditatibus , & de alio ad sedandos internos remorsus , ac conscientiæ stimulos remedio cogitare . Neque opus fuit diu quærere : temporalia bona , mundanæ voluptates , & gaudia , quibus me totum quantum immersi , familiaris cum libertinis sociis , qui sua mihi principia instillare non cessarunt , conversatio , quam quæsivi solicite , perniciosi , & ad libertinismum , ac religionis omnis contemptum inducentes libri , quos mihi magno numero comparavi , & quorum lectioni horas omnes ab aliis curis vacuas impendi , brevi tempore sopiverunt omnes conscientiæ stimulos ,

los, & profundam æternarum veritatum oblivionem induxerunt. Excusso hoc frœno nihil jam fuit, quod me a peccando retineret: accessit ad priora peccata, & pravos habitus plena DEI oblivio, sacrorum omnium contemptus, pietatis derisio, alienæ famæ detractio, calumniandi libertas, scandala, sermones tum lascivi, tum libertini, quibus, tanquam pestifero halitu, afflavi, & a DEI timore abstraxi alios, iusta lucra, fraudes, doli, oppressiones pauperum, verbo: nullum erat scelus, quod, si liberet modo, perpetrari a me libere posse non existimarem. Quidquid hæc inter animo occurseret, quidquid monerent alii, quidquid exemplorum tristium se objiceret, tanquam inania puerorum terribicula menta, risi, contempsi, explosi. - Hæc totius vitæ meæ series, hoc breve quoddam peccatorum est compendium, quæ sine metu, sine remorsu, ridens, mihi que ipsi plaudens perpetravi.

Sed heu me! qualis horror, quam terrificus aspectus. Nunc, dum mors appropinquat, evigilavit repente sopita

ta tot annis conscientia : nunc suppres-  
 si antea remorsus , timores , stimuli  
 uno agmine in me irruunt, & o ! quam  
 terribiles in angustias me adducunt.  
 Nunc , dum mortem vicinam video ,  
 venio in cogitatione peccatorum meorum ti-  
 midus , & traducunt me ex adverso iniqui-  
 tates meæ : nunc circumdant me inimici  
 mei vallo, & coangustant me undique : nunc  
 torrentes iniquitatis super me veniunt ,  
 & o ! quam horrende me conturbant.  
 Heu me miserum , & infelicem ! vita  
 mea inferno appropinquavit, æstimatus sum  
 cum descendantibus in lacum : undique  
 coarctor : angustiæ sunt mibi undique.  
 Ah ! hi timores , hæ angustiæ immor-  
 talem me habere animam , existere  
 DEUM malorum vindicem , paratas ef-  
 se impiis pœnas æternas dubitare me  
 non sinunt : o ! quam borrendum est in-  
 cidere in manus Dei viventis. - Sacerdos  
 proposita infinita DEI misericordia de-  
 sperantis animum conatur erigere , &  
 sincere pœnitenti veniam certissime  
 promittit. Sed frustra : scio , Pater !  
 in ejus sermonem æger involat , scio ,  
 quid mihi velis , quid debeas dicere ;  
 sed æcum agis : scio , infinitam esse

Dei



DEI misericordiam : sed non pro me:  
abusus sum tot gratiis : nunc clausa est  
janua : pœnitentiam agere , dum po-  
tui, non volui : nunc, si etiam vellem,  
non possem : quæ ad eam necessaria  
forent , præstare nequeo , & præstare  
nolo : peccata mea horrori mihi qui-  
dem sunt , & ad desperationem me  
adigunt : sed odiſſe illa , & ex animo  
detestari non possum : ægre illa vel  
in morte dimitto. Ah ! datur malo-  
rum vindex DEUS , datur immortalis  
anima , datur infernus , & hic *infernus*  
*domus mea est* : jam sentire ignes , jam  
adventantes dæmones intueri mihi vi-  
deor , qui , tanquam rabidi canes , fa-  
melici lupi , & rugientes leones in me  
parant irruere : aëtum est : sum æter-  
num damnatus. - - Hæc elocutus ,  
fremere , ac stridere dentibus incipit ,  
& irato vultu , rauca , nec perceptibili  
voce , nescio , quid secum ipso mur-  
murans , ex una in aliam lecti partem  
se projicit , donec destitutus viribus ,  
ac sensus omnis expers post diutur-  
num , ac difficilem agonem , nullo sug-  
gerenti Sacerdoti dato signo , expiret. --  
O Sancte Hieronyme ! nunc mihi ver-

ba

ba illa tua in mentem veniunt : vix de centum millibus, quorum mala fuit semper vita, meretur a Deo habere indulgentiam unus. - O Jeremia ! impletum est vaticinium tuum : *in novissimo dierum intelligetis* : sed utinam ad salutem. Ah ! mors peccatorum *pessima* : quia est mors ex recordatione præteritæ vitæ, præsentis status, futurarum pœnarum horrida. O ! si liceret nobis peccatorum, quorum etiam mors exterius nihil horroris habere videtur, internos sensus, atque animum intueri.

### PUNCTUM III.

**S**ubsistamus paucis momentis ad de-mortui cadaver, &, quid de illius anima agatur, aut quid de ejus statu sperari possit, tantisper quæramus. Ad hanc quæstionem paucis verbis respondet Sapiens : *mortuo homine impio nulla erit ultra spes*. - Ah ! quantum ex his verbis ab ipso Spiritu Sancto diætatis colligo, & colligere debeo, mors illius est mors æterna : est mors, de qua Augustinus loquitur, dum ait : *nulla major, & peior est mors, quam,*

quam, ubi non moritur mors : est mors,  
de qua apud Ecclesiasticum dicitur :  
*væ vobis impii ! si mortui fueritis, in ma-*  
*ledictione erit pars vestra.* O ! mortem  
terribilem ! o ! mortem funestam ! -  
Ante paucas horas a Sacerdote moni-  
tus, & in spem, ac fiduciam obtinen-  
dæ a DEO veniæ , & misericordiæ  
erectus poenitentiam agere potuit :  
nunc agendæ poenitentiæ nulla erit ul-  
tra spes : - ante paucas horas vel uni-  
co sinceri doloris actu Divinam pla-  
care iustitiam , & tot peccatorum ve-  
niā impetrare sibi potuit : nunc pla-  
candæ iustitiæ , & impetrandæ veniæ  
nulla erit ultra spes : ante paucas horas  
salutem suam procurare , & ultimum  
finem suum sincera peccatorum con-  
fessione , atque unico contriti cordis  
affectu obtainere potuit : nunc procu-  
randæ salutis , & obtainendi ultimi fi-  
nis sui nulla erit ultra spes : ante paucas  
horas obtemperando bene monenti Sa-  
cerdoti internos stimulos , rodentem  
intus vermem , & conscientiæ remor-  
sus sedare , ac inferni ignes extingue-  
re potuit : nunc sedandi remorsus, at-  
que ignes extinguendi nulla erit ultra  
spes :

spes : nunc vermis illius non morietur, & ignis illius non extinguetur : - ante modicum tempus abundabat bonis, fruebatur deliciis : nunc obtainendi alicujus boni, gustandæ vel ad momentum voluptatis, nunc evadendi malorum omnium cumuli nulla erit ultra spes : quantum se glorificavit, quantum in deliciis fuit, tantum illi datur, & in æternum dabitur tormenti, & lucitus : ante modicum tempus non credidit immortalitatem animæ, DEUM malorum vindicem non timuit, ad æternarum pœnarum minas risit : nunc finiendi mortem animæ, nunc vindicantis DEI manum, & æternas pœnas evadendi nulla erit ultra spes ; ex inferno enim nulla est redemptio, & in inferno non moritur mors. - Hoc illius corpus, quod in extremo judicii die rursum unietur animæ, erit bustum inferni : cras quidem ad illud canetur : requiem æternam dona ei Domine ! & lux perpetua luceat ei : sed in æternum non inveniet requiem, in æternum non videbit lumen : æternas sustinebit pœnas, & has pœnas nova morte finiendi, aut in illis habendi refrigerium nulla erit ultra spes, nulla

*erit ultra spes. - Mortuo homine impio  
( o ! veritatem terrificam ) mortuo ho-  
mene impio nulla erit ultra spes. - Ah !  
mors peccatorum pessima : quia mors pec-  
catorum est mors æterna : nulla autem  
major , & peior est mors , quam ubi non  
moritur mors.*

O benignissime JESU ! per Cru-  
cem , passionem , & mortem tuam ,  
quam pro me peccatore subire volui-  
sti , te obtestor , miserere peccatricis  
animæ meæ in hora mortis meæ , &  
ne permitte , ut tam violenta , horrida ,  
& æterna peccatorum morte moriatur.  
Ah ! Domine ! tali morte si morerer ,  
nulla mihi esset ultra spes , nulla uti-  
litas in Sanguine tuo pro me tam mi-  
sericorditer profuso. - O ! cur igitur  
talis mortis periculo me peccando ex-  
posui ? cur internos reæ conscientiæ  
stimulos ad agendum pœnitentiam in-  
citantes toties rejici ? Agnosco mi-  
DEUS ! quam insipienter egerim , & in  
quantum me discrimin conjecerim :  
o ! si hi remorsus nunc a me non au-  
diti , sed per vim suppressi aliquando  
in morte reviviscerent , & me undi-  
que coangustarent , si , quod nunc vi-  
dere

dere nolo, in novissimo dierum intel-  
ligerem, quidnam aliud, quam extre-  
ma desperatio, & mors peccatorum  
pessima, mors violenta, mors horri-  
da, mors æterna me maneret? - Ah!  
mi JESU! si de centum millibus, quo-  
rum mala fuit semper vita, vix me-  
retur in morte indulgentiam habere  
unus, quomodo ego me hunc unicum  
fore polliceri mihi possem? - Non  
o Domine! tanto periculo me non  
exponam: nunc præveniam, nunc  
bonum mortis judicium habebo præ  
oculis, nunc mihi justitiam parabo:  
& te o JESU! per mortem tuam sup-  
plex oro: a violenta, horrida, æter-  
na, & pessima peccatorum morte li-  
bera me Domine! Amen.

## MEDITATIO V. PRETIOSA IN CONSPECTU DOMINI MORS SANCTO- RUM EJUS.

**V**idimus in præcedente meditatione  
pessimam peccatorum mortem:  
in præsente, qualis futura sit mors ju-



storum, videamus. Audiamus Psalmistam de hac morte loquentem: *pretiosa in conspectu Domini, ejus verba sunt, pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus: quæ verba explicans Bernardus ait: pretiosa mors Sanctorum: pretiosa plane, tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus.* Hanc igitur pretiosam justorum mortem præsens meditatio proponet, cuius tria nobis puncta paulo ante nominatus Bernardus alio loco suppeditat, dum ait: *Mors justi bona propter requiem, quod primum: melior propter novitatem, quod alterum: optima propter securitatem, quod tertium erit meditationis punctum.*

## PUNCTUM I.

**A**udio, vicinum esse morti hominem, qui, dum viveret, multis adversis exercitus vitam egit pauperem, a mundo contemptam, voluptatum, & gaudiorum expertem, duris saepe casibus angustiatam, & afflictam: inter haec tamen magna semper dedit pietatis exemplum.

exempla , orationi , ac piorum libro-  
rum lectioni stata tempora constanter  
tribuit , Sanctissima Sacra menta saepius  
adivit , Sanctissimam DEI Matrem con-  
stanti pietate coluit , liberiore conver-  
satione sedulo abstinuit , verborum  
parcus linguam suam caute custodivit ,  
officio suo , quanta potuit , diligentia ,  
& fide functus est , jus suum cuique  
sine personarum acceptione tribuit ,  
potentiorum gratiam viis minus licitis  
nunquam quæsivit , neque hominum  
aut metu , aut respectu a pietatis stu-  
dio , & justitiæ amore se dimoveri  
passus est , nemini sciens injuriam in-  
tulit , tempus ab oratione , officio , &  
curis vacuum honestæ , & moderatæ  
cum amicis , quos paucos , sibique si-  
miles habuit , animi relaxationi im-  
pendit , lætus semper , & hilaris , nec  
in adversa , quam expertus est , for-  
tuna in inconditas querelas , & mur-  
mura erumpere , aut in hostes suos ,  
sibi non ignotos , maledicta , contume-  
lias , aut alia interni rancoris signa con-  
jicere unquam auditus , quin potius  
bene de illis loqui , ac pro malo bo-  
num reddere solitus . Nunc post diu-

turnum , & gravem morbum , quem  
mira patientia toleravit , ad extrema  
deductus esse dicitur , & in horas sin-  
gulas ejus mors expectatur . - - San-  
cte Hieronyme ! audivimus te in priori  
meditatione homini , cuius mala fuit  
vita , omnem fere obtainendæ a DEO  
in morte indulgentiæ spem denegan-  
tem : qualem igitur de hujus hominis  
morte spem nobis facis ? O ! respon-  
det Hieronymus , spem optimam : *le-  
gi , relegi , perlegi , nunquam vidi pium  
hominem mala morte mortuum , nunquam ,  
nunquam vidi pium hominem mala morte  
mortuum . - -* Eamus igitur , & , qualis  
hæc mors , de qua nobis Hieronymus  
tantum boni promittit , futura sit , vi-  
deamus .

Jam in primo ingressu moribundi  
facies solito hilior internam animi  
quietem , ac lætitiam nobis indicat .  
Interrogatus , quomodo se habeat ,  
optime sibi esse respondet , & de vi-  
cina sua morte sic loquitur , tanquam  
ex uno in aliud cubiculum transitu-  
rus : quin gaudet etiam , & cum Pau-  
lo lætus ait : *tempus resolutionis meæ in-  
stat . Circumstant amici , uxor , filii ,*  
mœ-

mœsti omnes, & perfusi lacrymis: ille mœrentes solatur, eorum animos erigit, ne mortem suam lugeant, illis Christi verbis monet: *nolite flere super me: sed super vos ipsos flete.* O! quot vos in hoc mundo mala, quam multi sinistri casus manent, quantæ calamitates, & miseriæ, quantæ curæ, ac labores, a quibus ego jam nunc liber exspecto, dum ingrediar in requiem meam; jam enim vocari me sentio, jam mihi dicit *spiritus*, ut *requiescam a laboribus meis.* - Quamdiu in hoc mundo vixi, parum, aut nihil quietis habui, adversam fere semper fortunam expertus sum, hominum persecutio-  
nes, contemptus, odiā sustinui, voluptatibus, commodis, opibus, plau-  
sibus, quibus abundant alii, semper carui: horum loco curæ, labores, incommoda, & molestiæ nunquam de-  
erant: in sudore vultus mei comedí panem meum, & hunc non raro par-  
ce admodum, aliorum invidia, frau-  
dibus, potentia in æquissimis etiam causis meis sæpius oppressus. Nunc finita sunt omnia, nunc nihil horum omnium est, quod ultra metuam, nunc



mutatur repente scena, & ego illuc  
propero, ubi abstergit Deus omnem la-  
crymam ab oculis meis, ubi mors ultra non  
erit, neque luctus, neque clamor, neque  
dolor erit ultra. Laborabunt alii, ego  
quiescam: lugebunt alii, ego lugendi  
causam non habebo, nec lugere pot-  
ero: fatigabuntur alii, ut temporalia  
sibi bona congregent, & quæ congre-  
gaverint, conservent, mihi nulla erit  
istarum rerum cura, horum omnium  
nihil appetam, nec eorum aliquo ege-  
bo: calamitates, miserias, adversa non  
pauca sustinebunt alii, ad me horum  
omnium nihil prorsus appropinquabit.  
Hostes mei, quantumcunque sint po-  
tentest, quantumcunque mali mihi ve-  
llint, nihil ultra nocere poterunt, eo-  
rum inermem impotentiam, & vanas  
sine viribus ridebo iras, majorem  
multo illi me, quam ego illos, timen-  
di causam habebunt. Itaque gratulari  
vos mihi decet potius, quam mortem  
meam fletu prosequi; ego enim ab  
exilio vocor ad patriam, e procello-  
so, & pleno periculis mari ad portum  
quietis venio, & consummato diffcili  
cursu ingredior in requiem meam, &

re-

requiescam a laboribus meis. *Fustis mors est quietis portus*, Ambrosii verba sunt, quæ me mirum quantum solantur.

Accedamus hominem proprius, & an nullus eum prorsus vicinæ mortis metus occupet, videamus: alloquamur eum. - Audi bone vir! tu in hoc rerum tuarum statu tam lætus es, ubi mors imminet, & adhuc hodie opportenda tibi erit? nihilne igitur mortem metuis, cuius vel sola memoria tot aliis o! quam amara, quam terribilis videtur? an scis, quid sit mori? audi tantisper. Mors est derelictio omnium bonorum hujus mundi: haec tibi amicos, & charos tuos omnes, & quidquid in mundo habes, mox eripiet: an de tot rerum jactura non doles? - Mors est finis temporis: jam pro te tempus non erit amplius, operari ultra tibi non licebit; venit enim nox, quando nemo potest operari: finis hujus tam propinquai memoria nihilne amaritudinis tibi adfert? - Mors est initium æternitatis: post paucas horas ibis in domum æternitatis tuæ, jam ante januam assistit *Judex*, qui a te rationem villificatio-

cationis tuæ repetet , & sententiam  
pronunciabit : qualis hæc futura sit,  
ignoras ; *omnia in futurum servantur incerta* : quid ad hæc ais ? an tam vici-  
num Judicem , an judicii ab eo insti-  
tuendi rigorem non times ? - Scio ,  
respondet , scio hæc omnia : sed nul-  
lam in his dolendi , nullam timendi  
**causam** invenio. Videatur mors aliis  
quantumcunque amara , & terribilis :  
me , quod promisit Sapiens , *tormen-*  
*tum mortis non tangit* : videbor quidem  
*oculis insipientium mori* : ego autem ero in  
*pace* : sentio nunc , quam verum sit ,  
quod ait Eucherius : *non magnus mor-*  
*tis timor istos infestat* , qui jam dissolvi  
optant , & esse cum Christo . - Tempora-  
lia quidem bona mors mihi auferet :  
sed mea non erant , ad breve illa tem-  
pus commodata habui , neque aliud  
ex iis tuli commodi , quam curas , la-  
bores , & molestias , quibus mors me  
liberat. O ! quale mihi mors nunc ad-  
fert solatum , dum aliquos me thesauros  
habere video , quo fur non appropiat ,  
neque tinca corrumpit. Tuorum nunc  
verborum , Magne Leo ! memini , & ,  
quam vera sint , experior : *quod pro*  
æter-

æterna vita agitur , tunc apparere incipit ,  
cum laborum carnalium fructus cœperit non  
videri. - Temporis mei finem mortem  
esse scio : sed nihil mihi agendum su-  
pereft, nihil eorum, quæ agenda erant,  
ad hunc finem distuli , parata sunt  
omnia : pro me finitur tempus semi-  
nandi in lacrymis , & appropinquat  
tempus in exultatione metendi. - Ini-  
tium æternitatis mors est : sed non est,  
quod metuam : ibo in domum æternitatis  
meæ , & lætus ibo ; opera enim mea se-  
quuntur me : ipse spiritus testimonium red-  
dit spiritui meo , quod sim filius Dei : si  
autem filius , & hæres : fidem servavi , &  
ideo reposita est mibi corona justitiae ,  
quam reddet mibi Dominus justus Judex :  
qualem igitur timendi causam habeo ? -  
Audio Bernardum : bona conscientia ipsa  
morte magis erigitur , quam deprimitur :  
audio Sapientem : sperat justus in morte  
sua. - O Mors ! bonum est judicium tuum.  
Modicum laboris supereft : extremos  
morbi dolores , & mortis angustias su-  
stinere adhuc debeo : sed juvabit , &  
vires addet ille , qui hæc omnia pro  
me in Cruce sustinuit. Igitur expecta  
Dominum anima mea ! viriliter age , &

con-



*confortetur cor tuum, & sustine Dominum:  
modicum laborabis, & tota æternitate  
quiesces. Spera in Domino, & ipse fa-  
ciet. Misericordiæ Mater te ab hoste  
proteget, & mortis hora suscipiet, se-  
que Matrem esse fideli, ac devoto si-  
bi filio monstrabit. - Ita fiducia ple-  
nus, & semet ipsum erigens, post  
prolata illa Psalmi quarti verba : *in  
pace in idipsum dormiam, & requiescam :*  
*quoniam tu Domine ! singulariter in spe  
constituisti me, loquela amittit, inten-*  
*ti in Christi Crucifixi, & Virgineæ  
Matris imaginem oculi manent im-  
mobiles, & obducuntur caligine, de-  
ficiunt sensus, denique peracta inter-  
pios, quos Sacerdos suggesterit, affectus  
extrema lucta, ridenti ore, placido  
veluti somno obdormiscit. - Beati  
mortui, qui in Domino moriuntur. -  
Quidnam de hac morte judicandum  
est ? o ! hæc mors est pretiosa in con-  
spectu Domini : mors bona propter requiem ;  
justus enim, si morte præoccupatus fuerit,  
in refrigerio erit.**

## PUNCTUM II.

**M**orientem vidimus : nunc ejus animam a corpore separatam, quantum licet, cogitationibus nostris ad domum æternitatis sequamur. - O ! quid video ? vix e corpore anima egreditur, jam occurrunt canentes Angeli : *cum dederit dilectis suis somnum, ecce ! hæreditas Domini* : jam Divinus adest Judex, & miti, ac festivo aspectu venientem animam excipit : *veni, ait, benedicte Patris mei ! posside regnum : euge ! serve bone, & fidelis ! intra in gaudium Domini tui.* - Hinc inter Angelorum choros in altum sublata canit : *lætata sum in his, quæ dicta sunt mibi : in domum Domini ibimus.* Jam panduntur cœli fores : jam cœlum ingreditur : jam ante DEI thronum statuitur : jam dicit, qui sedet in throno : *ecce ! nova facio omnia :* jam Virginea Mater sinu suo clientem accipit, eique JESUM benedictum fructum ventris sui ostendit : jam in ejus amplexum Sancti omnes ruunt, & de novi civis adventu læti laudes Deo concinunt, ac venienti animæ de consummato feliciter cur-

cursu , relata de hostibus suis victoria , & obtento ultimo suo fine gratulantur . - In tanta rerum omnium , & tam repentina conversione anima ipsa quid agit ? quinam ejus sunt de prioris vitae miseriis , quas sustinuit , & de praesenti suo statu sensus ? O ! quis haec omnia verbis explicet ? quis vel cogitatione affequatur ? - In primo cœlestis patriæ ingressu , & ad primum illius claritatis , ac pulchritudinis aspectum præ gaudii magnitudine se non capit : ah ! torrente voluptatis ebria exclamat : *oculus non vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis ascendit , quæ preparavit Deus iis , qui diligunt illum.* O ! quanta beatitudo ! sibi gratulatur cum Hieronymo , o ! quanta beatitudo pro parvis magna recipere , æterna pro brevibus , & habere Dominum debitorem . - Quocunque se vertit , quidquid videt , novi gaudii argumentum est , & tanti gaudii , quantum nulla lingua dicere , nullus intellectus capere sufficit , cui comparata omnia hujus mundi gaudia non vilescunt solum , sed cruciant , & affligunt . *Angelorum choris interesse , ut Gregorius loquitur , cum beatiss-*

beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assi-  
stere, præsentem Dei vultum cernere, in-  
circumscriptum lumen videre, o! quan-  
ta hæc inexplicabilis gaudii novitas,  
quæ omnes animæ potentias occupat,  
& rapit.

Quis jam felicis hujus animæ sen-  
sus est, dum eo se tabernaculo re-  
ceptam videt, in quo DEUS ipse cum  
hominibus habitat, dum immensi hu-  
jus tabernaculi pulchritudinem totam  
simul conspicit, & ad paratum sibi  
thronum cum DEO regnatura deduci-  
tur, quæ paulo ante in angusto cubi-  
culo, & vili leæto morbi doloribus,  
& mortis angustiis circumdata langue-  
bat? quis illius sensus est, dum repen-  
te inter Angelorum choros, & sancta-  
rum animarum cœtus constitutam se  
aspicit, &, quos per vitam coluit,  
quorum opem, ac patrocinium sup-  
plex petiit, in eorum se societatem,  
ac familiarem consuetudinem receptam  
videt, atque, quam paulo ante asper-  
nabantur homines, fugiebant amici,  
nunc Patriarchæ, Prophetæ, Aposto-  
li, Martyres, Confessores, Virgines  
summa cum lætitia occurrentes exci-



piunt, & honorant? quisnam illius sensus est, dum ad paratas sibi in conspectu DEI vocatur epulas, dum ab ubertate domus DEI se repleri, & torrente voluptatis ejus potari videt, quæ paulo ante pane lacrymarum cibata, cui potus datus est in lacrymis in mensura? quisnam illius sensus est, dum pro lamentationibus, quas audire solebat, canticum illud novum, quod ante thronum DEI Sancti concinunt, in ejus auribus repente insonat, dum ipsa Sanctorum immixta choris novum hoc canticum modulatur? quisnam illius sensus est, dum, quæ paulo ante multa sibi commoda negari vidit, nunc nihil desiderat, aut desiderare potest, quo non illico potiatur? O! exclamat, qualis hæc, & quam beata novitas! non, non sunt condignæ passiones præteriti temporis ad hanc gloriam, quæ nunc in me revelatur: momentaneum, & leve tribulationis meæ o! quantum gloriæ pondus operatum est in me. - In quales DEI fui prorumpit laudes, quales illi protot gratiis, & speciali cumprimis, ac paterna in subtrahendis peccatorum illiciis, & noxiis temporalibus bonis,

ac voluptatibus , & suppeditandis peculiaribus ad salutem mediis , atque inter hæc pluribus etiam crucibus , & adversis providentia agit gratias : quales Sanctissimæ Christi Humanitati pro redemptione , & tot cum illa connessis beneficiis , Beatissimæ illius Matri Virgini pro materno erga se amore , ac impenso toties præsidio , Sancto suo Custodi Angelo pro tam fideli ad ultimum usque vitæ momentum custodia , Sanctis Patronis suis pro impetratis sibi tot aliis , atque hoc cum primis ultimo bonæ mortis beneficio gratiarum actiones persolvit : quot ab his vicissim accipit gratulationes.

Sed exigua sunt ista , si cum ipsa obtentæ ab hac anima beatitudinis substantia conferantur. O ! quanto se repente gaudiorum omnium pelago inundari sentit , dum DEUM suum non jam per speculum , & in ænigmate , sed revelata facie clarissima in luce conspicit , dum ei similis ad eum , sicuti est , videndum admittitur , dum Sanctissimæ Trinitatis mysterium , dum infinitas DEI perfectiones , majestatem , pulchritudinem , sapientiam , bonitatem ,

divitias , potentiam , dum ea omnia ,  
quæ per obscurum fidei lumen sibi  
prius proposita videre non potuit , re-  
moto velo ante se habet , & in DEI lu-  
mine novum , ac admirabile lumen in-  
tuetur . O ! in quantum , & quam ac-  
censum DEI sui amorem ex hoc aspe-  
ctu rapitur , quantum in hoc amore  
sentit gaudium , quanta suavitate , ac  
dulcedine perfunditur , dum ad ple-  
nam , perfectamque infiniti boni pos-  
sessionem , ac familiarem DEI sui ami-  
citiam admitti se videt : quanta illius  
est exultatio , dum ab hoc summo bo-  
no amari se conspicit , dum huic uni-  
co fini suo conjungitur , dum ipsius  
DEI de salute sua gaudium clarissime  
agnoscit . - O ! qualis hæc novitas !  
quæ totum simul ejus appetitum ex-  
plet , quæ sic satiat , ut novum semper  
accendat desiderium : sic desiderare fa-  
cit , ut hoc ipsum desiderium semper  
sit satiatum . - O mors ! novæ vitæ ja-  
nua ! o melior propter novitatem , & vel  
hac de causa in conspectu Domini pretio-  
sa ! - O anima ! non jam miror illam  
tuam timoris omnis expertem in mor-  
te lætitiam : ah ! mors tua mors non  
fuit ,

fuit, sed suavis somnus, de quo Psal-  
mista canit: *cum dederit dilectis suis som-  
num, ecce! hereditas Domini.* - O! mo-  
riatur etiam anima mea tali morte justorum,  
& fiant novissima mea horum similia.

### PUNCTUM III.

Dum felicem hanc animam de nova  
sua vita tantopere gaudentem,  
sibique gratulantem videmus, quæra-  
mus ex illa, quam diu duraturum sit  
hoc gaudium, quam diu ipsa novæ  
hujus vitæ felicitate fruitura. O! re-  
spondet, in hac, quam nunc ingressa  
sum, vitæ novitate talis quæstio lo-  
cum non habet: hoc, quod pro me  
nunc fluit, tempus finem nescit: hic  
non jam tempus est, sed æternitas.  
In hac vitæ novitate æternum ero,  
æternum Deo, Deique bonis fruar,  
æternum hic gaudebo, & gaudium  
meum nemo tollet a me. - O beata  
æternitas! quam in Deo meo tam cla-  
re video, ut omnis prorsus summi bo-  
ni vel ad momentum amittendi metus  
in æternum excludatur. Gaudium meum  
nemo tollet a me. - Conjurèt adversum



me totus mundus , tyranni omnes ,  
quidquid habent virium , exerant , in-  
fernus ipse furorem suum omnem  
acuat , gaudium meum nemo tollet a me :  
hæc , per quam intravi , janua perfectæ  
securitatis ingressus est : hic mors ultra  
non erit , neque luctus , neque clamor , ne-  
que dolor erit ultra : hic omnis metus  
æternum exulat , & , quidquid securi-  
tatis plenitudinem turbare potest , ad  
civitatis hujus portas appropinquare  
non audet. - Paulo ante cum timore ,  
& tremore salutem meam operari de-  
bui : nunc salutem amittendi nullus  
erit ultra timor : gaudium meum nemo  
tollet a me. Paulo ante mille periculis  
exposita contra hostium insidias vigi-  
lare debui , ut eorum laqueos evade-  
rem : nunc secura requiesco , nunc  
vel tantilli ab hostibus periculi nullus  
erit ultra timor : gaudium meum nemo  
tollet a me. Paulo ante nescivi , utrum  
amore , vel odio digna sim , omnia in  
futurum servabantur incerta : quæ sta-  
bam , ne caderem , videre debui : nunc  
amore me dignam esse , & æternum  
dignam fore scio , nunc æterna mea  
est felicitas , nunc semper stabo , nunc

ca-

cadendi nullus erit ultra timor : gau-  
 dium meum nemo tollet a me. Paulo an-  
 te sedebam in tenebris, & umbra mor-  
 tis, paulo ante stratum meum rigabam  
 lacrymis : nunc in DEI lumine lumen  
 video, nunc videndi tenebras, gustan-  
 di mortem, fundendi lacrymas nullus  
 erit ultra timor : gaudium meum nemo  
 tollet a me. Paulo ante suspirabam an-  
 xia, & desiderio ardens : quando ve-  
 niam, & apparebo ante faciem Dei ? nunc  
 impletum est desiderium, nunc ante  
 faciem DEI semper assistam, nunc in-  
 babitabo in tabernaculo Dei in sæcula,  
 nunc misericordias Domini in æternum  
 cantabo : gaudium meum nemo tollet a me. -  
 O beata securitas ! transibunt sæcula,  
 extinguentur luminaria, mundus igne  
 consumetur, resurgent mortui, insti-  
 tuetur judicium : & ego secura ero :  
 gaudium meum nemo tollet a me : gaudium  
 meum nemo tollet a me.

Hæc inter ad expositum in mor-  
 tuali feretro corpus suum conversa :  
 o corpus meum ! ait, revertere nunc  
 in terram, & pulverem tuum : subter  
 te sternetur tinea, & operimentum tuum  
 erunt vermes : dic putredini : Pater meus

es : Mater mea , & soror mea , vermibus :  
cum te consumptum putaveris , orieris , ut  
*Lucifer*. Ubi ego sum , tu quidem non  
potes venire modo , sed venies postea :  
præcessi parare tibi locum : veniam ,  
& accipiam te ad me ipsum , ut , ubi  
ego sum , illic sis & tu fidelis ad omne  
bonum minister meus . - Non amavi  
te , fateor : si amassem , perdidissem te :  
nunc te sic perdidi , ut in vitam æter-  
nam te custodirem . O ! qualis erit  
pulchritudo tua , quando corruptibile  
hoc induerit incorruptionem , & mor-  
tale hoc induerit immortalitatem :  
o oculi mei ! quale lumen videbitis :  
o aures meæ ! quale canticum audie-  
tis : o os meum ! qualem gustabis dul-  
cedinem in mensa Domini , quali tor-  
rente voluptatis potaberis : o caro  
mea ! requiesce nunc in spe : videbis  
Salvatorem tuum : paululum nunc dor-  
mies : sed exurges iterum : expe~~cta~~ Do-  
minum Salvatorem tuum , qui reformat  
te configuratum corpori claritatis suæ.  
O ! qualis tunc erit tua novitas , ubi  
mors ultra non erit , neque luctus , neque  
clamor , neque dolor erit ultra : quia pri-  
ma abierunt . - O ! quantum gaudebit

cor

cor tuum , & gaudium tuum nemo tollet  
a te : nemo, nemo tollet a te. - - O Mors  
optima propter securitatem , & perfectæ se-  
curitatis ingressus ! o mors in conspectu  
Domini pretiosa ! Ecce ! quomodo mo-  
ritur justus : & nemo est , qui recogitet  
corde.

Ah ! mi JESU ! pro me in Cruce  
moriens ! moriatur anima mea morte  
justorum , & fiant novissima mea ho-  
rum similia : sit mors mea in conspectu  
tuo pretiosa. Hoc ut fiat , scio Do-  
mine ! quid a me petas : jubes me con-  
figurari morti tuæ , & cognoscere societa-  
tem passionum tuarum , ut sic occurram ad  
resurrectionem , quæ est ex mortuis. Con-  
figurabor igitur , & passionum tuarum  
societatem sic cognoscam , ut ab illa  
nunquam amplius recedam. Jam ex  
nunc configurari incipiam , jam ex  
nunc carnem meam crucifigam cum  
vitiis , & concupiscentiis ejus , jam ex  
nunc Crucem tuam amplectar , nec  
horrebo Crucis ignominiam : neque  
mors , neque vita , neque tribulatio ,  
aut angustia , neque instantia , neque  
futura , neque creatura alia me sepa-  
rare poterit a charitate tua : jam ex



nunc vivam, jam non ego : vivet vero in me Christus : mihi vivere Christus erit, & mori lucrum. O Virgo Sanctissima ! tu mihi a Filio tuo talem mortem in conspectu ejus pretiosam impetra, & JESUM benedictum fructum ventris tui mihi post hoc exilium ostende : tu me nunc ab hoste protege, ne a Christi Cruce me divellat : tu me in hora mortis suscipe , ut in pace dormiam, & requiescam. Amen.

## MEDITATIO VI. EXERCITIUM PRACTICUM MORTIS.

**Q**uid mors sit, qualis peccatorum, qualis justorum mors esse soleat, meditati sumus, & ex his omnibus agnoscere debuimus, quam bonum sit judicium mortis, quam salutares inde sequelæ, quam certæ, ac securæ ad corrigendos judicii nostri errores, & vitam deinceps recte instituendam regulæ deducantur. Sed horum omnium consideratio quem nobis fructum adferet, si scire contenti manum operi non

non admoveamus? Hoc igitur ut fiat,  
 & ut plenum e sacro hoc triduo fru-  
 etum referamus, in praesenti medita-  
 tione practicum mortis exercitium pro-  
 ponam. *Eamus & nos*: cum Apostolis,  
 quando de Lazari morte a Christo au-  
 diverunt, praesentes omnes alloquor,  
*eamus & nos*, & moriamur. Nemo me-  
 tuat, nemo turbetur: Pauli exemplum  
 imitabimur, qui de se profitetur: *quo-*  
*tidie morior*. Et profecto, si nemo no-  
 strum est, *qui non videbit mortem*: si  
 mortis tempus penitus incertum est:  
 si semel tantum, & non saepius morie-  
 mur, atque admissum semel in morte  
 errorem per totam æternitatem corri-  
 gere amplius non poterimus, operæ  
 pretium esse arbitror, ut instituto,  
 dum vivimus, non semel tantum, sed  
 saepius ejusmodi practico mortis exer-  
 citio ad bene moriendum prævie nos  
 disponamus, & exerceamus veluti,  
 juxta Thomæ Kempensis monitum:  
*beatus homo*, *qui horam mortis suæ sem-*  
*per ante oculos habet*, & ad moriendum quo-  
 tidie se disponit. Tria puncta comple-  
 etetur practicum hoc mortis exerci-  
 tium: in primo, quod maximam me-  
 ditationem



ditationis partem efficiet, ad mortem nos disponemus, & ea faciemus omnia, quæ ad illam aliquando pie oppeten-  
dam a nobis facta vellemus: in secun-  
do puncto brevissime mortem ipsam  
nostram nobis repræsentabimus, & sic  
agemus, quasi reipsa moreremur: in  
tertio puncto eadem brevitate anima  
nostra, quasi jam a corpore separata,  
considerabit, quid post mortem circa  
corpus, & res nostras agatur. Fructus,  
quem ex hoc exercitio & desidero, &  
spero, est, ut quisque nostrum aut  
hodie, aut his diebus attente, & in  
conspicere D E I lustret totum statum  
conscientiae suæ, & accurate inspiciat,  
an nihil sit, quod ante mortem a se  
factum vellet, an nihil inveniat, quo  
stante, & non sublato bonam sibi mor-  
tem polliceri vix posset: atque, si quid  
eiusmodi invenerit, manum operi ad-  
movere, ac in meliorem statum se re-  
ponere non differat, memor hujus:  
*quia mors non tardat.*

## PUNCTUM I.

Constituat se unusquisque nostrum  
ante imaginem Christi Crucifixi,  
sibique repræsentet ingredi ad se An-  
gelum, aut Sacerdotem aliquem hæc  
Isaiæ verba proferentem : *dispone do-  
mui tuæ : quia morieris tu.* - Audisti  
anima mea ? audisti sententiam, quam  
tibi DEUS tuus per hunc suum legatum  
indicat, & a te executioni dari ju-  
bet ? Ille te e nihilo creavit, & in hoc  
mundo posuit, ut ei serviens tandem  
salva fieres : ad hunc finem obtinen-  
dum tibi concessit creaturas plurimas,  
tanquam media non solum ordinis na-  
turalis, sed etiam supernaturalis : de-  
dit tibi viginti, triginta, quadraginta,  
quinquaginta, aut plures vitæ annos,  
tanquam tempus tuum, quo operari  
te voluit, & per bonum horum medio-  
rum usum ad finem tuum tendere, ac  
salutem tuam in tuto collocare. -  
Nunc, tanquam horum omnium Do-  
minus, tanquam supremus vitæ, mor-  
tisque arbiter, quæ dedit, a te repe-  
tit : nunc *venit finis super te*, adest con-  
stitutus tibi a DEO terminus, qui præ-  
teri-



teriri non poterit, elapsum est tempus  
tuum : igitur *dispone domui tue* : quia  
*morieris tu*, & ultra in hoc mundo *non*  
*vives*. - Quid ad hæc ais ? quid re-  
spondes ? - - Ah ! *quare tristis es anima*  
*mea* ? adeone igitur imminentis mor-  
tis nuncius te percellit ? Cogita im-  
mutabili DEI decreto aliquando mor-  
riendum tibi esse : si autem aliquando,  
**cur non modo** ? quidnam est , quod in  
hoc mundo te retinet , in quo nihil  
est , nisi vanitas , & afflictio spiritus ?  
quid est , quod hanc vitam tot reple-  
tam miseriis amare te facit ? an for-  
taffis ea causa diutius cupis vivere ,  
ut plura merita pro cœlo colligas , &  
bonis operibus augearis ? - Ah ! cum  
Bernardo exclamantem te audio : *vi-*  
*vere erubesco* , *quia non proficio* : *mori ti-*  
*meo* , *quia non sum parata*. - Ita si res  
habet , o ! in quanto versaris periculo ,  
nisi manum operi illico admoveas , &  
Divinæ voci obsequens ad mortem te  
disponas , antequam elabatur tempus ,  
quod ad hunc tibi finem Deus tuus  
**concedit** , & , ut impendas , te monet . -  
O Magne Deus ! quantum tibi deboe ,  
quod , cum jam pridem in peccatis  
ado-

adolescentiæ meæ consumere me pos-  
ses , ad hoc usque tempus patienter  
expectare , insuper admonere me vo-  
lueris , ut disponam domui meæ , ne  
me mors imparatum opprimat . Ah !  
mi JESU ! per tuam in Cruce mortem  
te obtestor , ut me nunc adjuves , &  
operi manuum tuarum porrigas dexte-  
ram , qua adjutus hoc tempus accepta-  
bile mihi a te concessum , & paucos ,  
qui supersunt , dies sic impendam , ut  
vocanti tibi respondere sim paratus .  
Hac fiducia fretus omnes alias sepono  
curas , & domui meæ disponere ag-  
gredior : quia nescio , quantum mihi  
ad disponendum temporis a te sit con-  
cessum .

Igitur anima mea ! in quali te nunc  
statu invenis ? an sine prævia confes-  
sione mori non timeres ? an æternam  
damnationem evadere sperares , si nunc  
repentino apoplectici fulminis iætu e  
corpore exturbareris ? - Quid suspi-  
ras ? quid trepidas ? - nihilne tibi con-  
scia es , quo per confessionem non ex-  
piato ad Divini Judicis tribunal evo-  
cari horreres ? - Si quid tale latet ,  
cum Augustino per salutem tuam te  
oro :



oro : fac confitendo propitium , quem negando non facis nescium : perge , recognita DEO tuo omnes annos tuos in amaritudine : incipe ab eo tempore , quo primum peccare potuisti , & confiteri incepisti : revoca in memoriam delicta juventutis tuæ , & ignorantias tuas : an inter hæc delicta juventutis non fuerunt plura peccata , etiam mortalia , quæ vel confiteri timuisti , vel erubuisti , vel de quibus ob nimiam animi levitatem nullum verum dolorem , nullum sincerum emendationis propositum habuisti ? an ignorantiae tuæ crassæ , supinæ , affectatæ , & ad excusandas excusationes in peccatis ex cogitatæ , ac prætentæ non fuerunt ? an unquam in vita tua ad corrigendos errores in præcedentibus confessionibus commissos fecisti confessionem generalem , eamque tam accuratam , sinceram , & sufficienti dolore , ac proposito instructam , ut prudens Confessarius te in illa confidere , & acquiescere posse judicaverit , ut nulos post illam graves remorsus passa sis , vel patiaris , & quidem tales , qui pro anxie conscientiæ scrupulis haberí non pos-

possint? an tibi nunc conscientia tua  
 non identidem in clamat, sine nova  
 confessione generali, & quidem de  
 peccatis totius vitæ instituta, cum spe  
 obtinendæ salutis mori te non posse? -  
 Quid sentis de annis adolescentiæ tuæ?  
 quibus illos rebus impendisti? quales  
 cogitationes intra te fovere fuisti so-  
 lita? quales conversationes adivisti?  
 quales habuisti socios? quales contra-  
 xisti familiaritates, & amicitias? qua-  
 lem Divinarum gratiarum, quem tem-  
 poris, & pecuniarum usum fecisti?  
 quales legisti libros? qualia dictamina,  
 & principia secuta es? quales de reli-  
 gione, & illius mysteriis sensus habui-  
 sti? quales inter conversandum ser-  
 mones miscuisti? nullosne pravos pec-  
 candi habitus, & consuetudines con-  
 traxisti? quoties per annum Sanctissi-  
 ma Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacra-  
 menta, & quomodo adivisti? quid de  
 harum confessionum sinceritate, inte-  
 gritate, dolore, proposito judicas?  
 an ex illis sufficientem tibi nunc pro  
 morte securitatem polliceris? an, quod  
 in his erratum fuit, jam emendasti? -  
 Quid tremis? quid inquieta te tor-  
 ques?



ques? - *Dispone domui tuæ : quia morieris : audi Augustinum : locus est , spatiū est : peccavimus , corrigamus. Fac confitendo propitium , quem negando non facis nescium. Memor esto , quia mors non tardat.* - Si nunc differs , videbis te , & planges te , & non erit tunc , quando corrigas te.

Qualis nunc in ætate virili est status tuus ? anima mea ! an adolescētiæ peccata , & pravos habitus dimisi ? an saniora jam in rebus religio- nis , & in morum regulis principia se- queris ? an liberioribus sermonibus , aut morum dissolutione juventuti scan- dala non præbes ? quomodo Christia- ni hominis officiis , quomodo status , & muneris tui obligationibus satisfa- cis? - - Si Sacerdos es : quomodo tre- mendum Missæ Sacrificium , & res Di- vinas pe agis ? quomodo Sacra menta administras ? an ad exercendam ani- marum curam de necessaria scientia , & virtute tibi provides ? an quietis , & commodioris vitæ amore conjun- etos cum animarum cura labores non fugis ? an nihil in hac cura negligis ,

aut

aut cum animarum periculo differs ?  
an conversatio tua , an sermones tui  
tales sunt , ut aliorum ædificationi ser-  
viant ? an non majorem commodorum  
tuorum , rerumque temporalium , quam  
animatorum , curam geris ? an culpa ,  
& negligentia tua nullum animæ detri-  
mentum patiuntur ? an nullo tempo-  
ralis damni metu , nullo hominum re-  
spectu a Divini honoris zelo , & pro-  
curanda animatorum salute absterrerit te  
finis ? - - *Si matrimonio junctus ; & fa-*  
*miliæ caput es : quomodo conjugalem*  
*fidem , & amorem , quomodo pacem ,*  
*& concordiam servas ? an non ipse sæ-*  
*pius gravium discordiarum causa es ?*  
*qualem filiorum , quem domestico-*  
*rum tuorum curam geris ? an eorum*  
*tum spiritualibus , tum corporalibus*  
*necessitatibus pro muneric tui ratione*  
*provides ? an vigilas , tanquam pro*  
*eorum animabus rationem Deo reddi-*  
*turus ? an filiis tuis nihil necessariæ*  
*institutionis tum in rebus fidei , tum*  
*in literarum studiis deesse pateris ? an*  
*eos in timore DEI , an potius juxta per-*  
*versa mundi hujus principia ad vani-*  
*tatem , ac licentiam educas ? an tam*



hos, quam famulos tuos ad implenda  
Christiani hominis officia adigis? an  
eorum peccata impedit, aut nimia con-  
niventia, fors & malis exemplis, aut  
libertinis sermonibus peccandi licen-  
tiam apud eos foves, & non unum  
præbes scandalum? - - Si publicum ali-  
quod munus, si justitiam administras:  
qualem in his recte gerendis diligen-  
tiam adhibes? an his muniis fideliter  
in conspectu DEI fungeris? an in fi-  
niendis causis ex negligentia, & pro-  
priæ commoditatis studio cum non le-  
vi sæpe partium damno longiores mo-  
ras non trahis? an jus cuique suum  
sine personarum acceptione reddis?  
an injusta lucra, & commoda non quæ-  
ris? an in gratiam hominum, ad ob-  
tinendos potentiorum favores, aut de-  
clinandas offensas nihil contra DEUM,  
contra proximum, contra conscientiam  
tuam agis, aut suades? an interrogatus  
sententiam juxta conscientiam tuam li-  
bere sine metu, aut respectu hominum  
dicis? an neminem injuste opprimis,  
aut opprimenti finis? - - An pro ratione  
facultatum tibi a DEO concessarum ali-  
quid

quid etiam pauperibus largiris ? an  
 non sumptus , qui facultates tuas ex-  
 cedunt , & necessarii non sunt , facis ,  
 ut post mortem tuam aut creditores ,  
 aut filii tui egere debeant ? an poten-  
 tiorum favore , viribus , aut ingenio  
 tuo ad supplantandos alios non uteris ?  
 an aliorum famam cum gravi eorum  
 damno non proscindis ? an nullas ini-  
 micitias , & odia aut palam , & publi-  
 ce , aut intus , & in animo foves ? an  
 nulla te gravat faciendæ restitutionis  
 obligatio ? an nulla est peccandi oc-  
 casio , quam dimittere deberes ? an  
 nulla occulta , aut aliena peccata te  
 premunt ? an hæc omnia confiteris ?  
 an confessa es ? an indicatas tibi a Con-  
 fessario obligationes implevisti , aut im-  
 ples ? Ah ! anima mea ! qualis est sta-  
 tus conscientiæ tuæ ? qualem habes ,  
 aut habere potes in præteritis confes-  
 sionibus fiduciam ? nulline rei tam in-  
 ordinato affectu adhæres , ut ab ea  
 per mortem separari nolles ? nihilne  
 est , quod ante mortem , ut eam secu-  
 ra oppeteres , facere optares , & de-  
 beres ? -- Ah ! ne morare : nunc est  
 tempus acceptabile : nunc sunt dies salutis .



*Fac confitendo propitium, quem negando  
non facis nescium. Dispone domui tuæ :  
quia morieris.*

O misericordissime DEUS ! qualem  
me invenio : quam horrendum iniqui-  
tatis monstrum me esse video : quo-  
modo possum in hoc statu apparere  
ante faciem tuam ? non, o mi DEUS !  
ita, ut nunc constitutus sum , mori  
non possum. - Igitur me nunc statim  
corrigam : nunc statim advocabo Con-  
fessarium , & peccata mea omnia sin-  
cere , integre , & cum debito dolore ,  
ac proposito confitebor. Quod ut tan-  
to efficacius fiat , jam nunc me ad  
tuos pedes , o mi JESU ! prosterno ,  
& ante Sanctam Crucem tuam omnia  
totius vitæ meæ peccata ex intimo  
cordis mei dolens execror , ac dete-  
stor. Peccavi , Domine ! peccavi in  
cœlum , & coram te : ah ! tibi soli  
peccavi , & malum coram te feci ,  
Dominus meus ! & DEUS meus ! pec-  
cavi : pœnitet me , & pœnitet me ex  
amore tui : quia te summum bonum ,  
tam amabilem , misericordem , & be-  
nignum DEUM , ac Patrem meum tot ,  
&

& tam gravibus peccatis offendit : heu !  
Domine ! inquinatae sunt viæ meæ in  
omni tempore : multiplicatae sunt su-  
per capillos capitis mei iniquitates  
meæ, & non potui, ut viderem. Pro-  
tot offensis , & injuriis quidnam tibi  
reddam ? o DEUS meus ! quomodo in-  
finitæ Majestati tuæ a me læsæ , ac  
contemptæ satisfaciam ? ah ! infinita  
tua misericordia sperare me jubet ,  
quod cor contritum , & humiliatum  
non despicies. In hoc igitur corde  
contrito , & humiliato cum firmissimo  
proposito non amplius peccandi , & ea  
omnia , quæ mihi Confessarius injun-  
xerit , implendi , projicio me ad pedes  
Sacerdotis ministri tui : illic recogno-  
tabo tibi omnes annos meos in ama-  
ritudine animæ meæ , & confiteor ,  
quia peccavi nimis cogitatione , verbo ,  
& opere. - - -

Confessus sum adversum me in-  
justitiam meam : & tu , o misericors  
DEUS ! uti fiducialiter spero , remisi-  
sti impietatem peccatorum meorum.  
Hanc misericordiam tuam in æternum  
cantabo ; nisi enim tu adjuvisses me ,  
paulo minus habitasset in inferno ani-

ma mea. - Nunc anima mea ad te de-  
siderat : veni, ah ! veni Domine JESU !  
& refice esurientem animam meam :  
lætifica animam servi tui in convivio  
sancto tuo , quod paraisti in dulcedi-  
ne tua pauperi DEUS ! - Anima mea !  
hæc est ultima in vita tua communio :  
o ! quoties Domini tui Corpus indigne  
suscepisti : vide, ut has injurias DEO  
tuo illatas nunc viva fide, ardenti amo-  
re, ac desiderio, & profunda humili-  
tate, ac reverentia resarcias : hoc ni-  
si feceris , o ! quam tremendum tibi  
judicium , qualem interitum mandu-  
cabis. - Ecce ! igitur , ecce ! Agnus  
DEI : ecce ! qui tollit peccata mundi.  
Credo Domine ! quia tu revelasti, qui  
infallibilis veritas es , & adoro te  
DEUM meum sub his speciebus vere,  
ac realiter præsentem : in tua infinita  
misericordia spero : te , o summum  
bonum meum ! amo super omnia : ad  
te desidero ardenti cordis affectu, o vi-  
ta animæ meæ ! ah ! Domine ! non  
sum dignus , ut intres sub tectum  
meum , quia miser , & indignus pec-  
cator sum : sed tantum dic verbo , &

fana-

sanabitur anima mea. - Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam , & sit mihi viaticum in vitam æternam. Amen - O ! sacrum convivium , in quo Christus sumitur , & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Nunc dimittis servum tuum, Domine ! secundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum. -- Roboratus pane fortium , etiam ungi debedo , ut , tanquam bonus Christi miles , luctari possim , ac resistere diabolo , & temptationibus ejus. Igitur post recitatos Psalmos Pœnitentiales , & Litanias Omnium Sanctorum sensus meos ungendos exhibeo , quos sensus heu ! quam male per vitam meam custodivi , quoties per illos animæ meæ hostes admisi , quoties illis ad peccandum abusus sum. Doleo, Domine ! doleo , & pœnitet me ex toto corde meo : ah ! per istam sanctam unctionem , & suam piissimam misericordiam indulgeat mihi DEUS , quidquid per visum , auditum , odoratum , gustum , & locutionem , tactum , gressum , & lumbrum delectationem deliqui , in Nomi-



ne Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.  
Amen.

Nunc aliud nihil superest, quam  
ut omnibus hujus mundi rebus me ex  
toto abdicem, Deoque meo resti-  
tuam, quæ ab illo ad tempus vitæ  
meæ commodata accepi. - En! me  
Domine! promptum, ac paratum:  
tua sunt omnia: tu dedisti, & pro his  
omnibus gratias tibi ago, mi Deus!  
quod dederis: & nunc, dum repetis,  
sanctissimæ tuæ voluntati me libentif-  
sime subjicio, & omnia tibi redbo.  
Atque imprimis animam meam a te ex  
nihilo ad imaginem tuam creatam, &  
pretioso Filii tui sanguine redemptam  
tibi commendando, plenaque cum fiducia  
trado in manus misericordiæ tuæ. -  
Corpus meum terræ, & pulveri, un-  
de sumptum est, restituo: in peccati  
poenam a te statutam cedat nunc in  
escam putredini, & vermibus, donec  
inde ad meliorem vitam a te suscite-  
tur. - E bonis meis, si quid in iis  
alienum est, si quid aliquem defrau-  
davi, si quid alicui debeo, redbo, &  
hanc restitutionem, quantum fieri po-  
test,

test , ipsemet facio , aut determino ,  
 neque inquirendi , & restituendi curam  
 hæredibus relinquō. - Reliquam sub-  
 stantiam , quæ mea fuit , quando tu ,  
 o mi DEUS ! hanc mihi potestatem fa-  
 cis , hæreditibus meis relinquō , & cui-  
 vis eorum portionem suam claris ver-  
 bis assigno , ne post mortem meam li-  
 tigandi occasio detur : nec obliviscar  
 clamorem pauperum , & subsidium ani-  
 mæ meæ. - Si cuius famam graviter  
 læsi , si alicui scandalum præbui , aut  
 damnum intuli , revoco , retracto , &  
 omni , quo possum , modo resarcio.  
 Inimicis meis ex animo ignosco , & , si  
 quem offendi , ab eo veniam supplex  
 peto , atque nunc statim cum omni-  
 bus in gratiam redeo. Ad extremum  
 hæredes meos bonis monitis instructos  
 benedictione impertior , & , ut tu il-  
 lis , o mi DEUS ! benedicas , oro. -  
 Domine ! disposui domui meæ : nunc  
 securus moriar , & nutum tuum in-  
 tentis oculis expecto.



## PUNCTUM II.

**E**n! ades jam, & me vocas, Domine! fiat voluntas tua: paratum cor meum Deus! paratum cor meum. Igitur Crucifixi Jesu simulacrum in manus accipio: ecce! quomodo moritur justus, qui, ut ait Gregorius, mortem suscepit, ne mori timeremus: ostendit resurrectionem, ut nos posse resurgere confidamus. O! moriatur anima mea morte justi hujus, & fiant novissima mea huic similia. - Hoc salutis signum ori, & cordi meo admovens, ac Sanctissimum Nomen Jesu devote invocans, indulgentiarum omnium, quas in hoc mortis articulo lucrari possum, particeps reddi cupio. - Altera manu benedictum cereum, tanquam filius lucis, teneo, & profiteor me velle vivere, & mori in ea fide, quam tenet Sancta Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia, cuius omnes articulos firma fide credo, & profiteor: quia tu, o Deus! eos revelasti, qui es æterna, & infallibilis veritas. Hac fiduci luce armatus abrenuncio Satanae, omni-

omnibus illius malignis suggestionibus,  
 & omnibus operibus tenebrarum. *Ex-*  
*urgat Deus, & dissipentur inimici ejus.* -  
 Ecce ! signum Domini : fugite partes  
 adversæ : *discedite a me omnes, qui ope-*  
*ramini iniqitatem.* - *In te Domine ! con-*  
*fido, non erubescam : neque irrideant me*  
*inimici mei.* - A tua infinita miseri-  
 cordia spero veniam , ac remissionem  
 omnium meorum peccatorum , & vi-  
 tam æternam me obtenturum : quia tu  
 hoc mihi promisisti, qui omnipotens ,  
 & in promissionibus tuis fidelissimus  
 es. O ! ut in lumine tuo videam lu-  
 men. - Ad hoc sanctum lumen accen-  
 de in me Domine ! ignem tui amoris.  
 Amo te , o summum , & infinitum bo-  
 num ! super omnia : o ! utinam satis  
 amare te possem : cupio te in æter-  
 num amare ; ad te enim desidero :  
*concupiscit, & deficit anima mea in atria*  
*Domini.* - - Jam agonizantium cam-  
 pana pro me insonat. Ah ! tibi Do-  
 mine ! commendo , & tuo in Cruce  
 agoni offero , & unio agonem meum.  
 Respice Domine ! super me famulum  
 tuum , pro quo Dominus noster Jesus

Chri-



Christus non dubitavit manibus tradi  
nocentium , & Crucis subire tormentum. MARIA Mater gratiæ , Mater  
misericordiæ ! tu me ab hoste prote-  
ge , & mortis hora suscipe. Sancte  
Angele Custos ! defende me. Sancti  
Patroni mei ! orate pro me. - - Jam  
imminere mortem sentio. Igitur a pec-  
catis meis , de quibus ex amore DEI  
mei a me offensi iterato doleo , rur-  
sum absolvi peto , & , ut DEUS mihi  
peccatori in judicio propitius esse ve-  
lit, oro. - - Nunc itaque proficiscere  
anima mea ! de hoc mundo in nomi-  
ne DEI Patris Omnipotentis , qui me  
creavit : in nomine JESU Christi Filii  
DEI vivi , qui pro me passus est : in  
nomine Spiritus Sancti , qui in me effu-  
sus est. Hodie sit in pace locus meus,  
& habitatio mea in sancta Sion. - Egre-  
dienti tibi anima mea ! de corpore  
splendidus Angelorum cœtus occur-  
rat : mitis , atque festivus Christi JESU  
tibi aspectus appareat : cedat tibi te-  
rrimus Satanás cum satellitibus suis ,  
& iter tuum impedire non audeat.  
Proficiscere anima mea ! quid times ?

bo-

bonum habes Dominum : spera in DEO,  
& trade te plena cum fiducia in manus  
infinitæ misericordiæ ejus. - Igitur  
veni , Domine JESU ! suscipe spiritum  
meum. In te, Domine ! speravi : non  
confundar in æternum. JESU ! MARIA !  
JOSEPH ! in manus vestras commendo  
spiritum meum. -- Subvenite Sancti  
Dei ! occurrite Angeli Domini ! susci-  
pientes animam meam , & offerentes  
eam in conspectu Altissimi. Requiem  
æternam dona mihi Domine ! & lux  
perpetua luceat mihi.

### PUNCTUM III.

**S**ubsiste nunc tantisper anima mea !  
& corpus tuum , a quo hoc mo-  
mento separata es , cubiculum , & res-  
tuas , quas nunc deseruisti , velut in  
transitu , considera. En ! cadaver tuum  
squallidum , & tristi pallore indutum  
apertis oculis , & hianti ore in lecto  
jacet , donec pius aliquis amicus , aut  
famulus claudat oculos , & ligato vul-  
tu os , ac labia comprimat. Mox e  
lecto in terram supra vilem culcitram  
deponitur , ut lavetur : adferuntur  
pul-

pullæ vestes , eæque vilissimæ , qui-  
bus tumultuarie induitur , atque inter  
induendum huc , illucque trahitur , &  
raptatur . Sic indutum mortuali fere-  
tro imponitur , & duorum pauperum  
custodiæ traditur , cras , aut perendie ,  
aut ob deformitatem , & fœtorem  
etiam citius , ligneæ includendu n ar-  
cæ , & ad sepulturam efferendum . In-  
tere a submissi a legitima potestate ve-  
niunt , qui arcas tuas , & cubicula ob-  
signant , clavesque secum auferunt :  
filiis tuis , si minores sint , tutor con-  
stituitur , qui bona illis a te relicta  
administret . - Ubi igitur est uxor ?  
ubi filii ? ubi propinqui , & aici tui ?  
O ! isti omnes ad primum de morte  
tua nuncium non e cubiculo solum ,  
in quo jacebas , sed e domo etiam fu-  
gerunt , neque redituri sunt , donec  
cadaver tuum inde sit ablatum : quid-  
quid noctu vel minimi strepitus au-  
diunt , quidquid videre se putant , tre-  
munt , ac pavent , & te sibi credunt  
occurrere : si vel in somnis tua illis  
objiciatur species , terrentur , & ex-  
clamat . Hæredes queruntur fortassis  
minus sibi a te relictum , quam cape-  
rent :

rent : alii legatum sibi nullum obvenisse , quod spe jam avide devoraverant , indignantur . Domus tua domesticis omnibus , præter unum , alterumve famulum , aut ancillam , vacua , ab aliis , qui ad videndum cadaver tuum confluunt , acceditur : horum plerique formam tuam considerando curiositatem suam pascunt : varii ab iis de te miscentur sermones : alii de morte tua dolent , gaudere videntur alii : ab his laudaris , ab illis vita tua reprehenditur : officiis tuis alii inhiant , sibique locum a te factum gratulantur : uxor , & filii tui coemendo vestitu lugubri , apparando funere , scribendis epistolis , amicorum visitationibus occupantur . - Quinam ergo , aut quando pro te orant ? ah ! postquam cadaver tuum sepulcro illuminatum fuerit , preces , & sacrificia , quæ in ultimis tabulis constitueristi , pro te persolventur : & his finitis tui memoria cum sonitu peribit . - Quid ad hæc ais ? anima mea ! an rerum terrenarum vanitatem , an bonum mortis judicium non agnoscis ?

En ! paradigma practici exercitii mortis , cui simile , omnino suadet rem , ut quisque saltem semel quovis anno , semper ab ultimo incipiendo , instituat , & promitto , quod tales , qui hoc accurate quovis anno fecerit , mors , quandocunque venerit , & si etiam repentina fuerit , semper inveniet paratum.

Benignissime JESU ! qui pro salute nostra in Cruce mori dignatus es , ut mortis nostræ amaritudinem tua morte mitigares , ut nobis bene moriendi exemplum ostenderes , ut per mortem nobis aditum ad vitam æternam referares , ante sanctam Crucem tuam prostrati tibi gratias agimus pro lumine , quod nobis hoc triduo accendisti , ut bonum mortis judicium videremus . Da Domine ! gratiam , ut juxta hujus tam boni judicii regulas perversi illius judicii , quo mundus , caro , & dæmon decipere nos conantur , errores corrigamus . Agnoscimus , o DEUS ! mortem esse derelictionem omnium bonorum temporalium : & ideo his bonis non affigemus

mus animum , utemur illis , tanquam non nostris , tanquam transitoriis , & nihil profuturis , nisi per bonum illorum usum æternam salutem consequamur. Agnovimus mortem esse finem temporis , incertum , brevem , impeditum : & ideo ad hunc finem ea , quæ pro salute nostra necessario agenda sunt , non differemus , sed nunc statim tam necessario operi manum admovebimus. Agnovimus mortem esse initium æternitatis : & ideo de bonorum operum viatico ad æternitatis iter nobis in tempore providebimus , ne in æternitatis limine positi de præterita vita nostra erubescere , de præsenti statu ingemiscere , ante instans judicium contremiscere debeamus. Vidimus , & horruimus mortem peccatorum pessimam , violentam , horridam , æternam , a qua per misericordiam tuam liberari petimus , & per sanctissimam mortem tuam supplices te rogamus , ut moriantur animæ nostræ morte justorum pretiosa in conspicu Domini , bona propter requiem , meliore propter novitatem , optima propter securitatem. Ad talem mor-

tem oppetendam frequenti memoria,  
& exercitio mortis sedulo nos præ-  
parabimus : talem ab infinita bonita-  
te tua per merita , & intercessionem  
Beatissimæ Virginis , & tuæ , nostræ-  
que Matris MARIÆ nos obtenturos  
confidimus , ut in tuas , & Matris  
tuæ manus spiritum aliquando no-  
strum feliciter tradamus.

Amen.

O. A. M. D. G.



